



Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

- + *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.
- + *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.
- + *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.
- + *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter <http://books.google.com> durchsuchen.



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:


- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>


929

Soc 3974 d $\frac{216}{2}$




929

See 3974 d $\frac{216}{2}$



929

Soc 3974 d $\frac{216}{2}$



A C T A
A C A D E M I A E
THEODORO-PALATINAE
T O M . II .


HISTORIA
ET
COMMENTATIONES
ACADEMIAE ELECTORALIS
SCIENTIARVM ET ELEGANTIORVM
LITERARVM
THEODORO-PALATINAE



VOLVMEN II.

MANNHEMII TYPIS ACADEMICIS

MDCCLXX.



ELISABETHAE

COGNOMINE STIRPE CONNUBIO

AUGUSTAE

PALATINOR. JULIACENS. MONTENSIVM

MATRI COMMUNI

INSTITUTO SAPIENTER ORDINE

QUI SOLATUR ET ORNAT

IMMORTALI

ALMAE MUSARUM NUTRICI

CUM VOLUMINE HOC

STUDIA SUA

DICAT COMMENDAT

ACADEMIA

THEODORO-PALATINA.



Quæ de nostro monenda instituto fuerunt, ad primum, quod triennio abhinc & sex mensibus prodiit, volumen præfati sumus. Exarando illi paulo minus temporis impensum est, quam quod nunc emittitur, secundo, non quod fecignius academia egerit, sed quod eodem a primo tomo ad secundum intervallo *Codicem principis olim Laureshamensis abbatiæ diplomaticum* tribus voluminibus edidit.

Addimus unicum, in parte physica comparere hic botanica quædam, quæ servato temporis & historiæ academicæ ordine in tertio demum, quod paratur, volumine collocanda fuissent

issent. Attulit auctor rationes, quibus inductus
senatus exceptionem a regula fieri permittit.

Servet, quod unice flagitamus, servator
omnium, Deus omnipotens, magnanimum rei
nostrae statorem, Principem vere optimum.

Perscriptum postridie purificationis beatæ
Mariæ anni MDCCLXX.

CON-

CONSPECTUS OPERIS

I.

Historia academiae.

C ontinuatio historiae an. MDCCLXVI & seq. <i>Latine</i>	pag. I.
Iter literarium, <i>Latine</i>	7.

II.

Commentationum pars prior, historica.

Jo. DAN. SCHOEPFLINI de sepulcro Rom. prope Schrieshemium reperto, <i>Latine</i>	107
ANDR. LAMEII de inscriptione Rom. Moguntiae reperta, quae deleto Commodi imp. nomine insignis, <i>Latine</i>	115
Ejusdem de legione I adjutrice ad lapidem Mo- guntinum, <i>Latine</i>	142
Ejusdem pagi Rhenensis, qualis sub Carolingis maxime regibus fuit, descriptio, <i>Latine</i>	153
Jo. DAN. SCHOEPFLINI de comite Palat. Galliae, <i>Latine</i>	187
Ejusdem Rupertus caesar defensus, ubi 1) de Italica expeditione, 2) de schismate eccle- siae, <i>Latine</i>	pag. 195
	Jo.

JO. DAN. AB OLENSCHLAGER de antiqua confuetudine feudorum imp. investituram absente cæsare à scabinis Francofurtensibus requirendi, *Germanice* 225

GEORG. CHRISTIANI CROLLII de prima comitum Veldentiæ familia, ejusque communi cum comitibus Silvestr. origine, a Nahgoviaë comitibus repetenda, *Germanice* 241

III

Commentationum pars altera, physica.

FRID. CASIM. MEDICI de incorruptis cadaveribus humanis, *Germanice* 309

DAN. WILH. NEBELII foetus ossei per LIV annos extra uterum in abdomine detenti historia, *Latine* 403


NATALIS JOSEPHI DE NECKER de muscorum & algarum generatione, *Latine* 423

Ejusd. enumeratio stirpium Palatarum annis 1768 & seq. collectarum, *Latine* 446

COSMI COLINII observationes de mineris metallicis, *Gallice* 497

HISTOR.

HISTORIA
ACADEMIAE
THEODORO-PALATINAE.



Tarol. fec.



INCUNABULA academiæ triennalia, primo volumine exposita, brevis nunc rerum, proximo inde biennio publice gestarum, narratio subsequitur.

Hist.
acad.

An. MDCCLXVI.

Præmium legibus academicis statutum summam Principis augusti in alendis & excitandis ingeniis liberalitatem non duplicasse tantum, sed & minora duo, viginti quinque ducatorum

Convent.
vernalis

A

rum

MDCCLXVI.

rum utrumque, Palatinorum maxime suorum utilitati & comodo, addidisse, jam olim commemoratum est. (a) Præmiis hisce minoribus expositæ itaque primum sunt quæstiones duæ sequentes:

I. *Sitne alicubi in Palatinatu ad Rhenum marga, terrae genus, agris pinguefaciendis idoneum, & in quo illa maxime solo ad fertilitatem conducatur.*

II. *Apumne cultura in Palatinatu Rhenensi augeri possit, & quomodo. Quænam noxia ei, quæque conducibilia.*

De responfis, ad quæstiones has acceptis, in conventu publico vernali, die XVII Aprilis habito, relatum est, ad priorem in sex, quæ aderant, unum, ad posteriorem in viginti & duobus tria laudem quandam meruisse videri, ita tamen, ut præmium propositum meruisse nullum ostenderetur, nullum ad mentem academiæ quod esset compositum, Unde easdem quæstiones in alterum biennium cum monitis quibusdam publicari iterum placuerat.

Placuerat porro in confessu hoc proclamari socios duos extraordinarios, Anglum & Batavum, viros in antiquis & humanioribus literis versatissimos,

BENJAMINUM KENNICOTT, S. Theol. Prof. Oxon. regiæ societati Lond. adscriptum, &

ABRAHAMUM PERRENOT, Ict. in comitatu Culemburgenfi consulem & ærarii quæstorem, societatis Harlemensis moderatorem.

Convent.
autumn.

Dies X. Oct. consecrata fuit confessui hujus anni autumnali publico, quo recensita sunt opuscula de præmiis majoribus ad quæ-

(a) Vol. I, pag. 16.

quæstiones duas certantia, quæ biennio ante publicatæ fuerant his verbis :

I. *Quaenam sedes, bona & jura comitum Palatinorum Rheni fuerint ab imperio Francico Viroduni an. 843 diviso, usque ad epocham constitutæ eorum sedis Heidelbergæ.*

II. *Quisnam lithantracum in tractandis quibuslibet aut in fundendis saltem ferri mineris usus.* Additum huic quæstioni monitum, mittendum esse cum responso lithantracis hoc in usu præstantioris specimen, & quo effossus fuerit loco, indicandum. Ad quæstionem priorem ceteris athleticis prævaluit, præmioque promisso iterum ornatus est Jo. OTTO CULLMANN, Palatino-Germersheimensis. Ad posteriorem unicus, neque is senatus academici judicio coronari dignus, apparuerat.

Tum insuper in sociorum numerum cooptati primum sunt viri musarum amantissimi duo,

CAROLUS JOSEPHUS BOUDART COMES DE COUTURELLE, augusti Principis Electoris nostri camerarius, &

PAULUS THEODERICUS BARO DE HOLBACH, inter literatos proceres Lutetizæ Parisiorum conspicuus, ille quidem ad honores, hic extra ordinem.

Sed & jura atque instituta academica hoc anno aucta sunt bibliopolio, tum exteris studiorum fructibus facillime acquirendis, tum academicis nostris opportunius, quam alias fieri solet, ad exteros diffundendis accommodato.

Bibliopolium

Nec postremo loco, imo primario ponendum est decus ex Bavaria acceptum, allato ei aureo formæ, qua major non facile datur, numismate, in academiæ scientiarum Boicæ, an. MDCCLIX felicissime institutæ, memoriam pulcherrime percussum, donum in paucis carum, non quod aureum, sed quoniam benevolentiz auro longe præstantioris documentum est honorificentissimum. Additæ dono literæ fuerunt, quas ut juris publici

Donum.

MDCCLXVI.

faciamus, & musarum Palatarum honos, & ipsæ, quæ tanto Principi debentur, grates postulare videntur.

„ **N**OS MAXIMILIANUS JOSEPHUS Dei gratia utriusque Ba-
 „ varicæ & superioris Palatinatus Dux, Comes Palatinus
 „ Rheni, sacri Romani Imperii Dapifer & Elector, Landgra-
 „ vus Leuchtenbergæ &c,

„ Illustres, nobiles, clarissimi atque perdilecti. Placuit no-
 „ bis & devotissimum erga nos officium vestrum, & politioris
 „ litteraturæ studium, atque id magis, quod in eam vos men-
 „ tem impulit, ut memoriali inaugurationis academicæ nummo
 „ academiæ scientiarum Theodoro-Palatinæ de nobis quodam-
 „ modo bene mereri volueritis; neque sine animi nostri jucun-
 „ ditate perspeximus laborem vestrum in scrutandis & eruendis
 „ utriusque domus nostræ electoralis Boycæ & Palatinæ anti-
 „ quitatibus & monumentis laudabiliter versari, ex quo
 „ etiam majoribus nostris non mediocre accessurum esse
 „ ornamentum confidimus. Vestrum præterea dilaudamus
 „ fervorem, quo vos rei litterariæ amor succendit, quam pro
 „ communi patriæ & reipublicæ christianæ commodo antiquo
 „ candori restituere, ac eundem magis augere satagitis. Hinc
 „ ut vobis perspectum sit, quo nobis sint pretio & scientiæ, ea-
 „ rundemque cultores, nummista sub imagine nostra vobis
 „ impertimur tum nostri in musas vestras favoris tesseram,
 „ tum electoralis gratiæ nostræ testimonium, queis vobis &
 „ laudabilibus institutis vestris semper addicti permanemus. Mo-
 „ nachii XII Kal. Maji 1766.

Oratio vo-
 tiva.

Ad CAROLI THEODORI diem festivum, senatus academici jussu, d. VI Nov. pie gratulatus est Kremerus oratione vernacula, qua singulare simul Principis hujus augusti in musas nostras beneficium, amplissimam scriptorum & chartarum veterum,

rum, ad Rheni inferioris, Juliacensem & Bergensem maxime, provincias spectantium, collectionem gravi ære redemptam & in bibliotheca electorali collocatam, laudavit.

An. MDCCLXVII.

PUBLICATAE hunc in verem, præmiisque minoribus expositæ fuerant quæstiones physico-oeconomicæ sequentes: Convent. vernalis.

I. *Quaenam in Palatinatu electorali insecta, noxia atque benefica. Quanta illorum damna, horum commoda. Quomodo averti illa, hæc promoveri possint.*

II. *Quaenam natura & forma, qui ortus, progressus atque interitus insectorum vitibus quam maxime infestorum, vernacule rebensticher vocant. Quomam soli vitiumque genere plurimum deleantur. Quomodo deleri aut palmites ab iis servari tutissime possint.*

Ad quæstionem priorem nemo respondit. Ad posteriorem allata sunt responsa sex, & in his tria, quæ desiderio quidem academix per omnia non satis fecisse, nonnulla tamen docuisse nova cognituque utilissima videbantur. Unde singula libero duodecim ducatorum dono remunerari, & eandem quæstionem, nostris in regionibus cum maximi momenti sit, duplici præmio iterum proponi placuit. Apertis schedulis inventa sunt nomina auctorum hoc ordine:

PHILIPPUS JACOBUS BREUCHEL, notarius cæs. in Gimmeldingen prope Neostadium ad Hardtam.

ISRAEL WALTHER, pastor ecclesix ref. in Westhofen, vico Palatino.

ANDREAS BRAUER, pastor ecclesix Hunavillanae in Alfatia superiore.

MDCCLXVII,

Scripta hæc una cum quarto alio, quod & laude quadam sua dignum habitum est, typis academicis mandari senatus & præfatione muniri iussit, ut quæ insuper præstari aut observari necesse sit, universis constaret (b).

Hæc peracta publice in conventu vernali d. XXVII April. rite celebrato, in quo proclamati insuper sunt focii novi, honorarius unus & extraordinarii sex, paulo ante privatim electi & summa Principis auctoritate confirmati. Honorarius fuit vir summus,

JO. NICOLAUS AB HONTHEIM, episcopus Myriophitanus & suffraganeus Trevirensis.

Extraordinarii vero viri doctrina & sua in academiam hanc amicitia commendatissimi

DANIEL BERNOULLI, Basileæ decus.

JO. MILLS, armiger Anglus Londini.

JO. HENR. BACHMANN, a regimine ducali Biponti &c.

CHRISTIANUS ERN. HANSELMANN, Principum Hohenloicorum a consiliis aulicis &c.

CASIMIRUS HÆFFELIN, facellanus aulicus electoralis & ecclesiæ collegiatæ Heinsberg. canonicus.

JACOBUS HEMMER, ejusdem facelli elect. aulici presbyter.

Conventus
autumnalis

In conventum autumnalem, d. XXII Octobr. celebratum, præmia majora duo destinata fuerant ad quæstiones sequentes:

I. *Daturne materia alia, quæ in conficiendo coeruleo colore, smaltum vocant, usum præstet eundem, quem cobaltum præstat. Quodnam ejus nomen & quæ præparandi ratio.*

II *Quis*

(b) Prodiit libellus hoc rubro: *von den Rebenstichern, vier Preischriften &c.* 8vo.

MDCCLXVII;

II. *Quis ducatus Franciæ orientalis ad Rhenum status, geographicus atque politicus, ante seculi XII finem. Quantum honoris atque bonorum ex ducatu isto ad comitatum Palat. Rheni accesserit.*

At utraque hæc quæstio intacta permanfit, difficiliore forte solutione quod essent. Fuerunt autem, qui longiorem respondendi moram petierunt; quorum desiderii ut satisfaceret, quæstiones istas suo quodam modo in an. MDCCLXIX retinendas esse academia censuit, priorem quidem, constituto ei duplici præmio, posteriorem vero adempto, quod difficilius erat, membro altero.

Oratione votiva hujus anni *Principem philosophum* in CAROLO THEODORO, Principum optimo, d. VI Nov. Kellingius celebravit Latine.

Oratio

QUI annis superioribus Alcejanam, Oppenheimensem, Cru-
cenacensem, Lutrensem & Lutreccensem Electoratus Palatini
præfecturas peragraverant academici, iidem feriarum verna-
lium hujus anni intervallo Neostadiensem, Germersheimensem,
Brettanam, Boxbergensem & Mosbacensem præfecturas oculis
literatis lustrare sunt jussi; id quod viginti & quinque diebus, a
XIII Martii usque ad VI Aprilis, peractum est.

Iter liter.

In transitu Spiræ monumenta examinata sunt antiqua, quæ
a Lehmanno pridem publicata (c) & in illa seculi sup. clade
bellica ab interitu feliciter servata senatus urbis prudenti consilio
in curia sua, tutissimo asylo, collocari curavit. Unicum appo-
nimus,

Spira.

(c) *Chron. Spir. Lib. I, cap. VIII.*

 MDGCLXVII.

nimus, quod tum a Lehmanno, tum a Reinesio (d) vitiose, nusquam recte, publicatum est.

ET IVNONI
REGINAE
VECCINIUS
SIMILIS ET
SUPERINI
A DECVMIL
LA V S L L M

Defiderari lineam primam I. O. M. nemo non videt, cetera fana sunt & supra omnem, quæ Reinesium exercuit, emendationem. Ara votiva fuit, Jovi & Junoni posita a *Veccinio Simili*, marito sine dubio, & *Superinia Decumilla*, uxore ejus. Decumilla hæc admonet nos Undecumillæ Coloniensis, ex cujus nomine male intellecto undecim mille virgines martyres illas prognatas esse multi sibi persuadent.

Edighoven. Inter Neostadium & Landaviam media fere via præstantissimus vicus est Edighoven, cum quo coaluit pridem *Watzenhoven*, ad quem abbatia monialium *Heylsbruken* (pons salutis) ord. Cisterc. circa an. 1260 Harthusio, ubi primum perstitit, salubritatis causa translata fuit. Vexaverant enim moniales morbi varii atque perpetui, ex aquis stagnantibus & frigidæ defectu orti, nec non bestiolearum sordidissimarum examina, diu noctuque. Accedebat ligni caritas, silvis in hac planitie jam tum excisis. Migrarunt itaque moniales cum abbatisa sua Cunigunde ad montana, ubi Burcardus de Breittenstein, miles, Wazen-

(d) *Inscript.* class. I. XXIV.



— pu. —

Wazenhovium & *Odenkoben* (ita Edighovium tum scribebatur) vicos supra dictos, pro trecentis marcis argenti puri ipsis vendidit. Addidit Heinricus de Ruprechtsburg, miles, tertiam partem decimarum ibidem, quam ab Emichone comite Leining. in feudum tenuerat. Confirmavit hæc omnia Heinricus episcopus Spir. præfente & annuente, ordinis Cisterc. nomine, Stephano abbate vallis Uterinæ. Data charta Spiræ die exaltat. crucis an. 1262. Desertum denique & hoc coenobium est post trecentos annos sub Friderico III Electore Palat. cum quo postremæ moniales de alia vivendi ratione convenerunt.

Paulo supra Landaviam ad Quisagam Palatinæ Germersheimensis præfecturæ oppidulum est Godramstein, nulli alii, si religionis veteris Romano-Gallicæ monumenta ibi servata spectes, facile secundum. Inter monumenta hæc, in archivum lapidare Mannhemii mox illata, aræ sunt quinque & in iis duæ liberatæ, Συμβώμιοι quatuor. Sextum Mercurium repræsentat symbolis suis, qualem nusquam fere reperias, perfectissimum. Lapidem hi ad antiquum parochiale templum detecti sunt omnes, quinque in muro, unicus solutus ad portam; qui quum quatuor deorum, Mercurii, Herculis, Junonis atque Minervæ imagines sistat, induxit nonnullos, ut oppiduli nomen hinc exortum esse crederent, *Godramstein* compositam vocem existimantes ex *Götter am Stein*, Dii in lapide. At fidem huic conjecturæ detrahit omnem prisca veraque nominis scribendi ratio *Godmarstein*, quo Godmari cujusdam rupes vel domus munita exprimitur.

Godramstein

Quatuor, quos modo nominavimus, deorum, at operis longe elegantioris & literata est ara, quam primo loco quatuor faciebus depictam producimus. Auctor ejus *Mansuetus* quidam *Natalis*, qui posita hac ara *Jovi Opt. Max. Votum Solvit Lubens*

Tab. I.

B

- Lætus

MDCCLXVII.

Laetus Merito. Victorina quædam *Natalis* Mercurio votum solvit Richshovii in *Alfatia*. (e) Utrobique gentilitium desideratur nomen, quum & *Manfuetus* & *Victorina* cognomina esse soleant, æque ac *Natalis*, quod obvium.

Dii, quorum imagines exsculptas damus, mares duo totidemque feminæ, ex symbolis suis internoscuntur facile, *Juno*, *Minerva*, *Mercurius* & *Hercules*, *Jovis* conjux & filii. De *Junone*, quæ latus primarium occupat, ubi inscriptio est, dubitaremus, nisi pavo addita esset, avis foli *Junoni* sacra. Reliqua enim in *Vestam* omnium optime quadrant; unde illustris *Alfatiae illustr.* auctor, (f) simillimis aris *Helveti* & *Woerthæ* in *Alfatia* repertis, ad *Vestam* prorsus inclinavit, mutaturus procul dubio sententiam, si pro *ciconia* nobiscum vidisset pavonem. *Vestam* pro *Junone*, *Junonem* pro *Vesta*, ubi nomen appositum non est, facillime accipi, comparatis inter se utriusque *Deæ* monumentis, *Montefalconius* (g) jam pronuntiavit.

In altero latere *Minerva* apparet more suo armata, habensque noctuam ad pedes. A primis reip. *Romanæ* temporibus *Jovem*, *Junonem* reginam & *Minervam* in *Capitolio* cultos fuisse, ex *Livio* (h) discimus.

Junoni atque *Minervæ* juncti sunt mares duo, *Mercurius* & *Hercules*. Ille manu sinistra *caduceum* suum, dextra *crumenam* tenet. Ad pedes ludit *gallus gallinaceus* cum *testudine*.

Herculem *exuvie leonis*, *poma Hesperidum* & *clava* manifestant. Pendens a tergo *pharetra* cum *arcu rariorem* faciunt.

De reliquis aris quadrilateris, in quibus vel eadem figuræ cum *Genio* quodam & *Victoria* comparent, vel oblitterata & excisa

(e) *Schoepflini. Alfat. illustr.* tom. I, pag. 449.

(f) *Ibid.* p. 475. tab. IV. & V.

(g) *Antiq. explic.* tom. I, pag. 55 & 60.


(h) *Lib. III. cap. 17.*

2



INIDD·DEO
 ARANVCNO
 CR·VINI
 OV·BVSEX
 CON·TA
 BTL·

3



DEO·MERCVRIO·CM
 BO·IVS·TIV·S·L·L·M

cifa sunt multa, differere hic superfedemus, ad literatam alteram properantes, quæ signis & imaginibus plane destituta.

Hæc deo peregrino, nomine saltem nec Latino nec Græco, dicata fuit *Taranucno*, non heic loci tantum, sed & ad Nicrum culto, ad quem paulo ante repertus est lapis nostri simillimus, in bibliotheca publica Heilbronnenfi nunc conspicuus, in quo verba DEO TARANUCNO VERATIUS PRIMUS EX IUSSU. Docta & elegans ad monumentum hoc dissertatio prodiit (i), qua Taranucnus veterum Celtarum numen statuitur, alibi *Tanarucus* & *Tanarus* a voce *Tanar*, nobis vernacule *Donner*, Gallis *Tonnerre*, dictus, Jupiter tonans Romanorum seu fulgerator. Verisimilis sententia, quamvis metathesis literarum & productio vocis singularis bis, in utroque nempe lapide Heilbronnenfi & Godramsteinensi, sit admittenda. Hi enim lapides duo hactenus soli innotescunt *Taranucni* vocabulo insigniti. Nostrum maxima sui parte non tam temporis quam hominis cuiusdam, vetustatis superstitiosæ oforis, injuria pessime habitum esse graviter dolemus. Præmissa DEO TARANUCNO formula IN HONOREM DOMUS DIVINÆ, de qua alibi videas (k).

Tab. II.
num. I.

Diximus de Mercurio, cum symbolis suis omnibus fisti, quem alibi frustra quæsieris, perfectissimum. Manu dextra crumenam tenet, sinistra puerulum cum caduceo. Ad pedes aries atque testudo, ad latus dextrum gallus gallinaceus. Crumena

Tab. II. n. 2.

B 2

&

(i) *De Deo Taranucno commentatio auctore J. E. J. Walchio P. P. O.* Jenæ 1766. Eodem anno Jo. Paul. Reinhard, prof. Erlang. de Deo Taranucno ad idem monumentum Heilbronn. programma scripserat, quod insertum *Martini Thesauri dissert. histor. tom. III. part. I, p. 311.*

(k) *Acta acad. vol. I, p. 206 sq.*

MDCCLXVII.

& caduceus frequentissime, aries & gallus haud raro, testudo minus frequenter, rarissime puerulus occurrunt. E testudine lyræ fecisse aut repertam testudinem ad lyræ formam redegeisse Mercurium veteres crediderunt (l). Commemorat Pausanias Mercurium Spartæ visum, qui Bacchum portaverit puerum (m), imo Liberum patrem, puerum adhuc, portasse in coelum tradit, (n) unde cum testudinis tum pueruli, Mercuriis symbolis adjectorum, causam habemus atque originem.

Tab.II.n.3. Anaglypho huic illiterato accedit fragmentum simillimi lapidis, in alio præfecturæ Germersheimensis vico, *Impflingen*, inventum, ubi aries & testudo superfunct ad pedes, operis superiore præstantioris testes. Superest quoque in imo brevis duarum linearum epigraphe:

DEO. MERCVRIO. CAM
BO. IVSTI. V. S. L. L. M

Alibi Mercurium *Cambum* celebrari aut legi non meminimus. Nec facilis est vocis hujus reddenda ratio. A verbo absoleto *cambire*, unde *cambium* & *concambium* exorta, repetere ac de Mercurio permutationum, collybistarum seu trapezitarum præside, interpretari qui voluerit, nos quidem certiora nondum edoctos non habebit refragantes. Mercurium ad quæstus pecuniæ mercaturasque habere vim maximam, & Galli arbitrati sunt (o). De Mercurio negotiatore, nostris quoque in oris reperto, alibi dictum est (p). Singularis & insolita pariter & compendiosa

(l) *Pausanias* Lib. II, cap. 19. & lib. VIII, cap. 17.

(m) Lib. III, cap. 18.

(n) *Ibid.* cap. 18.

(o) *Cæs. de bello Gall.* VI. 17.

(p) *Act. acad. Theodoro, Palat.* vol. I, p. 205.

diola nominis IVSTI appositio, absque ullo sine prænomine sive cognomento Romanis nominibus addi solito. *Iustus* autem nomen esse gentilitium Romanum, tum ex ipsa hac voce Latina, tum ex monumento alio patescit, quod Gruterus (q) edidit, *P. Iustio Pancalo* Romæ positum.

Godramsteinium vicum seculo XIII in oppidi formam redactum Rudolphus I imp. ad aliorum imperii oppidorum instar privilegiis munivit. Id ne abbatiae Hornbacensis curiæ, prædiis ac juribus diviti, quæ ibidem extat, noceret, idem Cæsar dato Spiræ diplomate, an. 1287 prospexit. Biennio post advocatus regius in Spirigovia, Henricus de Bannacker eadem de curia, instrumentum dedit. Chartis his addimus tertiam, qua idem Henricus advocatus a. 1303. tria hujus curiæ placita libera pronuntiavit.

Docum.
N. I.
N. II.
N. III.

Billigheim oppidum, quod Theobaldus Gerlachius vulgo *Billicanus* a patria dictus, rhetorices & historiæ professor Marburgensis, editis variis scriptis, philosophicis atque theologicis, sub Carolo V imp. clarus, nomine suo illustravit, Fridericus I elector portis primum, dein Fridericus II, Henrici II regis Galliæ in istis partibus cum magnis copiis adventu monitus, ut periculo imminente rustici haberent, quo cum rebus suis tuto refugerent, vallo & fossa validissime munivit (r).

De Friderico I præter Leodium testem habemus turrem ab illo tempore adhuc superstitem, in qua tum principis hujus, tum Johannis de Gemmingen, præfecti Germersheimensis, quo curante opus factum, insignia conspiciuntur & elogia his verbis:

B 3

IN

(q) *Inscript.* DCCXCVII. IO.

(r) *Hub, Thomas Leodius in vita Friderici II Palat.* pag. 294.

MDCCLXVII.

IN DEN JAREN UNSERS HERN DO MAN ZALT MCCCCLXVIII HABEN WIR HERTZOG FRIDERICH PFALTZGR. UND KURFURST &C. DURCH HANSEN VON GEMINGEN UNSERN FAUT ZU GERMERTZHEIM DIESEN HUT ANFAHEN LASEN UFF MENTAG NACH KRON UND SPER DAG.

HANS VON GIEMINGEN FAUT ZU GERMERSHEM.

Dies coronæ & lanceæ, qua inscriptio superior turrem factam esse docet, incidit in diem Ven. post dominicam Quasimodogeniti.

Clingen-
münster

Ad Vogesi radices, infra castrum Landeck, antiquissimum Palatinatus Rheni monasterium fuit, a proximo vico Clingen vulgo *Clingenmunster* appellatum, quod Dagobertum Francorum regem instituisse, chartæ posteriores testantur. Moguntinus olim archiepiscopus confirmavit, Spirensis episcopus consecravit novum quemque abbatem, uterque gratis (s). Abbatia in ecclesiam collegiatam a. 1491 conversa Palatinos Rheni comites, Rupertum atque Johannem, inter primos præpositos suos seculares numeravit.

De opibus hujus ecclesiæ ex curia, quam habuit, feudali si judicare licet, opulentissima fuit. *Birkenhart* cum aliis locis eo spectantibus Walramus comes de Sponheim post Anselmum de Barbelstein a. 1345 in feudum accepit, quod ad Badenses marchiones atque Veldentizæ comites, Sponheimensium heredes, a. 1439 transivit. De paroeciis *Goffersweiler & Weidenthal* Emicho Leiningensis comes a. 1346 investitus est. Hermannus Bipontinus *Busenberg*, *Bernborn*, *Erlnbach*, partemque castri *Drachensfels* tenuit. Abbatia consentiente Fridericus de Ochsenstein a. 1494 dimidiam partem vicorum *Göcklingen*, *Gleiffen-*

(s) Documenta rei vid. in *Guden. cod. dipl.* tom. 1, p. 25 & 42.

Gleiffenzell, Merlesheim, Wolmesheim, Insasheim, Offenbach, Bornheim & Obern-Hohstatt; annoque sequenti quartam partem castrum *Landeck & vici Munster* (Clingenmunster) nec non dimidiam vicorum *Geishorbach, Heuchelheim, Appenhofen, Ingenheim &c.* fratres insuper *Friderici, Johannes, ecclesiae Argentinensis praepositus, & Volmarus de Ochsenstein*, quae in vicis supra nominatis sua erant, an. 1416 *Rabano, episcopo Spirensi, vendiderunt.*

Wissenburgi publica inter decora extant vetus abbatia, nunc Wissenburg praepositura, principatus dignitate coruscans, & proxima huic sacrae Teutonici ordinis militiae domus. Abbatiae tum primam a *Dagoberto rege* originem, tum instaurationem per *Edelinum abbatem* a. 1288 factam, literae, faxis ad introitum claustris seculo XIII insculptae, docent.

In choro ecclesiae monumentum praestans *Philippi Flersheimii, episcopi Spirensis, qui praeposituram Wissenburgensem cum episcopatu suo primus conjunxit* (t):

REVERENDISS. DD. PHILIPPO E NOBILI FAMILIA DE FLERSHEIM CUJUS PRIMA AETAS MORIB. HONESTIS ET OPT. DISCIPLINIS EXCULTA SUBSEQUENS MITRA DOCTORALI DIGNITATIB. ECCLESIASTICIS IN BASILICIS CATHEDRALIBUS SPIREN. WORMACIEN. AUGUSTEN. EYSTADEN. ET BRUGEN. ORNATA POSTERIOR PRIMO COADJUTORIA PRAESULIS WORMACIEN. DEINDE EPISCOPATUS SPIREN. ECCLESIAE DEMUM INSIGNIS HUIUS ECCLESIAE WEISENBURGEN. PRAEPOSITURA DECORATA MAXIMILIANO ET CAROLO V DIVIS IMP. REGIB. OMNIUMQUE ORDINUM HOMINIB. OB SUMMAM PRUDENTIAM ET IN CONCIILIANDIS HOMINUM ANIMIS NEGOTIISQUE ARDUIS TRACTANDIS FOELICITATEM NEC NON ERGA OMNES PRECIPUE SUOS SUBDITOS

(t) Priore tantum sui parte, eaque non ad lapidis omnino fidem, in *Galliae Christ.* tom. V, col. 737 monumentum hoc proditum est.

MDCCLXVII.

TOS HEROICAM HUMANITATEM DESIDERATISS. EX HOC SAECULO XIII AUGUSTI ANNO CHRISTI SALVATORIS MDLII IN ALSATIAE TABERNIS DUM IMPIUS FUROR PATRIAM INNOCENTEM RAPINIS DEVASTARET MIGRANTI SPIRAE SEPULTO ET GLORIOSUM ILLUM DNI DIEM FIRMA FIDE EXSPECTANTI EX FRATRE NEPOTES CONTRA VOIUM POSUERE.

Impius furor, qui praefulem hunc Spira sua Tabernas Alsatiae fugaverat, Alberti Brandenburgici, cognomento Alcibiadis, bellum fuit, orae Rhenensi post transactionem Passaviensem illatum, de quo Philippus Simonis (u).

Quo itaque majores suos honores genere profecutus est princeps venerandus, posito eis Lutræ olim Cæsareæ, nunc Palatinæ, elogio, (x) eodem ad Lutram Alsatiae Wissenburgi a nepotibus suis ornatus est merito.

Domus militiae Teutonicæ, quæ Wissenburgi est, initia sua ad an. 1250 refert, præcipuas autem, quas possidet, opes Sifrido de Venningen debet, domus hujus commendatori, qui mille & quingentis florenis castrum & quatuor vicos ab Emichone comite Leining. & uxore ejus, Margaretha de Kyrburg, accedente filiae eorum Annæ, & mariti ejus, Engelhardi de Wintersperg, consensu, an. 1371 coemit. Loca ista ex instrumento emtionis sunt *Rietfels*, castrum & vicus, *Überlingen*, rivulo tantum discretus a loco priore, *Diefenbach*, cujus unica adhuc curia superest, & *Nider-Ingoltzan*, qui plane periit. Addenda tria hæc omnia longo fatis vicorum in Alsatia destructorum catalogo (y).

Chorum

(u) *Beschr. aller Bischöffen zu Speyer* p. 241.

(x) *Vid. Act. acad.* vol. 1, pag. 44.

(y) *Schoepflini Alsat. illustr.* tom. 2, pag. 454.

Chorum ecclesiæ ornant tituli sepulcrales trium ordinis magistrorum, dignissimorum memoriæ, qui tot aliis domibus suis, in quibus quiescerent, Wissenburgensem prætulerunt. Domus enim hæc cum ipso magisterio ita pridem conjuncta est, ut ad alium ordinis equitem non facile transeat. Sequuntur tres magistrorum tituli:

I.

ANNO. DNI. M. cccc. lxxxI. FERIA. TERCIA. ANTE. URBANI. PP. OBIIT. FRATER. UDALRICUS. DE. LENTERSHEIM. MAGISTER. ORDINIS. THEUTONICORUM. CUJUS. AIA. R. I. P.

II.

ANNO DOMINI 1531 UFF SAMSTAG NACH DER HEILIGEN DREI KUNIG TAG IST DER HOCHWIRDIG FURST UND HERRE HERR DIETRICH VON CLEEN GESTORBEN DEM GOT GENADE AMENN.

HIE LEIT BEGRABEN DER LETZT DES STAMMENS UND NAMMENS VON CLEEN SEINS ALTERS GEWEST SIBENZIG FUNF JAR. ALLE HERNACH.

III.

ANNO. DOMINI. M. D. xcv. DEN. XXI. TAG. MARTII. IST. DER. HOCHWIRDIGST. FURST. UND. HERR. HERR. HEINRICH. ADMINISTRATOR. DES. HOCHMEISTERTHUMBS. IN. PREISSEN. MEISTER. TEUTSCH. ORDENS. IN. TEUTSCHEN. UND. WELSCHEN. LANDEN. IN. GOT. SELIGLICH. ENTSCHLAFEN: DESSEN. SEEL. DER. ALMECHTIG. GOT. GNEDIG. SEI. UND. EIN. FRELICHE. UFERSTEHUNG. VERLEIHEN. WOLLE. AMEN.

Sed & quartus denique titulus sepulcralis in præceptoris Wissenburgensi superest, non magistri, sed præceptoris, Wilhelmi de Katzenelnbogen:

A. DNI M.V^c. lII. UF DEN XVII NOVEMBER STARB DER ERWÜRDIG UND EDLE HERR WILHELM VON KATZENELNBOKEN COMENTHUR ZU WEYSSENBURG TEUTSCH ORDENS.

C

Wilhel-

MDCCLXVII.

Wilhelmus iste, Gerhardi Knebelii de Katzenelnbogen in Nider-Saulheim filius, fratrem habuit, qui a præfectura Oppenheimensi ad conjugis Friderici II electoris Palat. magisterium aulæ promotus atque an. 1550 defunctus est (z).

Fuerunt, quod pauci recte norunt, in sacro Teutonico ordine post magistrum generalem, vulgo *Hochmeister* dictum, præceptores provinciales tum majores quidam, tum minores plures, & commendatores denique ac fratres domorum singularum, ex Teutonica natione omnes.

Magistri generalis sedes primaria fuit Ptolemaide, quæ Hebræorum *Acco* (a) in Syria, ubi origo rei. Superfunt literæ, quas Burchardus de Schwanden, *magister hospitalis S. Mariæ domus Theutonicæ Hierosolymitani*, totumque capitulum transmarinum ad fratres ordinis sui in Marpurg scripsere, datæ *Acon in domo nostra* IV nonas Septembris (b). *Hierosolymitanum* inane tum fuit nomen, Hierosolyma in Saracenorum hostium potestate cum esset constituta; imo eodem, quem diximus, magistro Ptolemais ipsa a Saracenis capta est an. 1291, ordoque Teutonicus ex omni oriente fugatus. Hinc sedes ejus Venetias primum, dein an. 1309 Mariæburgum in Borussiam translata est, teste Petro Dusburgensi, domestico & antiquissimo tum ordinis tum rerum Borussicarum scriptore (c). De Marpurgo aut alia

(z) *Humbrecht Rheinische Ritterschaft* fol. 52.

(a) *Judic. I.* 31.

(b) In scripto ord. Teut. contra Hassos an. 1753 vulgato: *Entdeckter ungrund* &c. Docum. n. LXV.

(c) *Chron. Prussiae* a Christoph. Hartknoch edit. part. III, cap. 297, pag. 366. ubi ita: „ Anno Domini MCCCIX frater Siffridus de Wuchwangen (Vuchtwangen) mag generalis XII, & terræ Pruschiae magister XVII, venit ad terram Prussiae & domum principalem, quæ a tempore destructionis civitatis Achonenfis fuerat apud Venetias, transtulit ad castrum Mergenburg in Prussiam.

alia intermedia post Venetias fede, quam nonnulli admittunt, nihil certi compertum.

Præceptores provinciales majores qui seculo XIII fuerint, ex statutis ordinis colligimus, a Raym. Duellio editis (d), ubi inter alia capitulum generale singulis annis celebrari jubetur a *præceptore Livoniae, Alamanniae, Pruzziae, Austriae, Apuliae Romanae* (e) *Hermeniae*, ordinaturque ut „ obeunte ordinis „ magistro ad electionem futuri magistri celebrandam per eum, „ qui locum magistri tenet, commendatores subscripti convocentur, videlicet *præceptor Pruzziae, Alamanniae, Austriae, Apuliae, Achajae, Hermeniae.* „ Additur mox de præceptore Livoniae: „ Præterea cum præceptor Livoniae unum de potioribus membris nostri ordinis existat, ad supradictum terminum aliis præfixum est accersendus, quatenus ad sæpedictam electionem veniat, si præ longitudine viæ venire potuerit oportune „ quibus ex verbis, statuta ista vel in oriente vel saltem Venetiis ante sedem magistri ad Borussos translata condita esse, intelligimus.

Decernitur porro, *præceptores & provinciales Armeniae, Achajae, Siciliae, Apuliae, Theotonicæ, Austriae, Pruzziae,*
C 2 Livo-

Annotat ad hæc verba Hartknochius, esse alios, qui jam Hermannum a Saltza Venetias sedem suam transtulisse ex urbe Acconensi, multo tempore ante destructionem Acconæ, dicant, seque eidem sententiæ adstipulari. At ex superioribus Burchardi de Schwanden literis patet, sedem magistri generalis quinquaginta minimum post Hermanni de Salza obitum annis Acconæ perstitisse. Dedicavit Petrus Dusburg. chronicon suum magistro ordinis, Wernero de Orfelen, an. Domini 1326.

(d) *Miscellan.* tom. II, pag. 35, 49 & 53.

(e) *Lege Apuliae, Romaniae.* Apulia enim nunquam dicta est Romania, & in Romania ordinem suas quoque domos habuisse, aliunde novimus, ex Dusburgio præsertim, cujus verba huc spectantia infra pag. 22 producimus.

MDCCLXVII.

Livoniae, Hispaniae constituendos & destituendos esse a magistro cum consensu capituli principalis.

Habemus hic provincias decem, in oriente Armeniam, in Græcia Achajam, in Italia Siciliam, Apuliam, Romaniam, in Germania Alemanniam vel Theotonicam & Austriam, in Polonia Prussiam & Livoniam, ultimoque loco Hispaniam. Omisiss Achaja, Sicilia & Hispania Petrus de Dusburg (f) vel quisquis præfationis de institutione ord. domus Teutonicæ auctor sit, commendatores seu præceptores provinciales *septem columnas*, magistrum generalem autem & capitulum ejus fundamentum hujus domus appellavit. Armenia, Achaja, Hispania brevi amissæ sunt, Italicæ vero & Austriaca provinciæ cum Alemannica, uti videbimus, conjunctæ; unde constituta magistri generalis in Borussia sede, qua hujus quoque provinciæ præceptorum cessavit, numerus ille præceptorum majorum sive denarius sive septenarius redactus omnino est ad duos, Alemannicum atque Livonicum, qui cum magistro generali, Paulo de Ruffdorff, soli commemorantur in tabula pacis Polonicæ an. 1436 initæ (g); ubi ligæ & confoederationes quæcunque inter *magistrum generalem, præceptores per Almaniam & Livoniam*, ducemque Boléslaum irritæ pronuntiantur, addita lege, ut magister generalis id potissimum agat, magister Alemanniæ ut majus suum sigillum pacis hujus instrumento appendat, quod si facere is noluerit, cavetur, ne *magister generalis Prussiae & magister seu præceptor Livoniae eidem magistro Alemanniæ* ullo modo subveniant. Sed & in duris pacis conditionibus, quas magister generalis, Ludovicus de Erlichhausen, a Casimiro rege Poloniæ a. 1466 tulit, diser-

(f) *Chron. Pruff.* pag. 12.

(g) In libro: *Erneuerter bericht vom Preussischen abfall*, Mogunt. 1627 edito, cujus auctor Sollenius creditur, ord. Teut. cancellarius, ubi vid. p. 228 & 256.

disertis verbis exprimitur, quod in magnis & arduis rebus ordinis vocatio & consensus magistrorum Almaniae & Livoniae debeat intervenire. (h) Præceptores hi deinceps communiter *magistri*, & Livonicus peculiari honoris vocabulo *Heermeister*, Alemannicus *Teutschmeister*, vernacule dicti sunt. Alemannia enim sensu Italis & Gallis familiari Germaniam universam denotat. Continuator Petri Dusburgensis (i) de legatis ordinis Teut. ad Sigismundum imp. in Hungariam missis, *totam pene Almanniam, Marchiam scilicet, Saxoniam, Misniam, Thuringiam, Franconi- am, Bavariam & Austriam* eos perlustrasse tradit.

Tot in scriptoribus ordinis, a quibus Borussiae & Livoniae magistrorum, imo & inferiorum præceptorum res gestæ ac series describuntur, Alemanniae sive Germaniae magistros, qui in generalium Borussiae magistrorum locum seculo XVI suffecti sunt, Livonicis & reliquis potiores, frustra quaesiveris, imo cum generalibus, quorum vicarii erant (k), eos non semel confundi animadvertes. Quæ Mergenthemii, novissima magisterii generalis sede, in conclavi majore, magnorum Borussiae & provincialium Alemanniae magistrorum series delineata conspicitur, in multis adeo vitiosa est, ut ordinem ipsum domi suæ hospitem esse diceres.

Sepulcralibus itaque, quas Wissenburgi vidimus, magistrorum quorundam Alemanniae epigraphis admoniti, ex literis antiquis passim dispersis syllabum eorum, qui adhuc

C 3

desi-

(h) *Lunig Spicil. eccles.* tom. I, cont. I, cap. 3, p. 37.

(i) *Chron. Prussiae* p. 451 sq.

(k) Ludovicus de Erlichhausen, magister generalis, in charta 1452 hæc habet: Nachdem ein Homeister unsers ordens, der zur zyt ist, in Dutschen landen an siner stat pflaget zu haben einen obersten Gebietiger, der an siner stat mit fines Rattes Gebietigern macht hat zu setzen oder entsetzen &c. *Lunig* l. c. cont. p. 373.

MDCCLXVII.

desideratur, opera haud prorsus inani confectum, producimus.

HERMANNUS DE SALZA, magister deinceps generalis, ex hac parte maris ex mandato superioris magistri praeceptor quibusdam ordinis sui juribus in archiepiscopi Moguntini gratiam cessit, salva majoris magistri domus Theutonicæ confirmatione (l). Deest literis his nota temporis; at ante an. 1220 scriptas esse, vel inde conficitur, quod Hermannus anno isto ad magisterium generale certissime jam fuerat promotus (m). Distinctius de hoc Germaniæ magistro loquitur Fridericus II imp. in diplomate, quo domui hospitalis S. Mariæ Theutonicorum ad supplicationem fratris *Hermanni, magistri preceptoris domorum ejusdem hospitalis in Theutonia* præstantissima jura concessit & patronatum ecclesiæ S. Mariæ inter Judæos Moguntiae, (*Udenmunster*) quem Wernherus & Philippus de Bonlanden in feudum tenerant. Datæ hæc literæ sunt Fuldæ an. 1219. (n)

HENRICUS DE HOHENLOH. Magistrorum ordinis Teut. per Alemanniam primum fuisse Henricum Hohenloicum, ex tabulario Mergenthemiano Venator (o) prodidit, qui tamen ex testimoniis allatis fuit secundus. Episcopi Herbipol. literis, quibus

(l) *Guden. cod. diplom.* tom. IV, pag. 869.

(m) Bulla Honorii III Pontif. Rom. *Hermanno magistro religiosæ fraternitatis hospitalis S. Mariæ Teutonicorum Hierosolymitani* ejusque fratribus XVIII Kal. Jan. an. 1220. data est, ap. *Duell. hist. ord. Teut.* append. p. 1.

(n) *Guden. cod. diplom.* tom. III, p. 1086. *Petrus Dusburgensis chronico Prussiae* part I, cap. V, pag. 26, Hermannum de Salza ubi laudat, hæc addit: „Magnifica quoque dona in Appulia, Romania, Armenia, Almannia, Ungaria, scilicet territorium quod dicitur Wurza, Livonia & Pruschia temporibus suis ordini sunt donata.

(o) *Bericht vom Teutschen Ritter-Orden* p. 42.

bus Godefridi & Cunradi, fratrum Hoenloicorum de monasterio sanctimonialium Cisterciensis ordinis construendo consilium, an. 1232 probavit, sigillum appensum est *fratris Henrici commendatoris domus Theutonice per Alemanniam, distorum nobilium germani, qui ejusdem negotii promotor extitit.* (p) Annotamus ad hunc locum, magistrum, præceptorem & commendatorem olim fuisse synonyma, ita ut in majoribus a minoribus distinguendis attendendum omnino sit ad nomina regnorum, provinciarum & domuum adjecta. Postea vero commendatoris vocabulum minoribus tantum ordinis præceptoribus, infra magistros Borussæ, Alemanniæ, Livoniæ constitutos inhæsit. Deceptus est auctor Mergentheimensis, qui magisterii Henrici nostri Hohenloici initia ad an. 1234 ponit. Hoc autem anno Henricus, Conradus & Hermannus, Thuringiæ Landgravii, hospitali S. Mariæ domus Theut. Hieros. bona sua in villis *Rieth*, molendinum & omnia allodia prope *Marpurg* &c. donarunt, tradentes ea in manus fratris *Henrici de Honlo, præceptoris ejusdem domus per Alemanniam* (q); quæ initia sunt domus Teutonicæ Marpurgi. In literis, quibus Godofredus de Hohenloch castrum & villas *Crutheim*, castrum *Bockesberg* aliaque coemit, *Fr. H. de Hoenloch præceptor Alemanniæ*, *Fr. O. quondam Landgravius, Fr. Hermannus præceptor Livoniæ*, testes allegantur. Actum apud Herbipolim in domo fratrum Theutonicorum XIII Febr. an. 1239 (r). Habemus hic tum Alemanniæ tum Livoniæ præceptores, a magistro generali diversos, ita tamen, ut Livonicus postponatur non solum Alemannico præceptor, sed & fratri O. vel uti legendum potius, C. Conrado, propter

(p) *Sjungii Miscellan.* tom. III, p. 381.

(q) *Guden. cod. diplom.* tom. IV, pag. 877. & scriptum ord. Teut. contra Hassios: *Historiseh-diplomatiseher unterricht* &c. in *Docum.* n. 45.

(r) *Hanselmann Landeshohheit von Hohenloch* pag. 404.

MDCCLXVII,

propter nobilitatem gentis, utpote quondam Thuringiæ Landgravio, de quo constat ordinis Teut. equitem tum temporis fuisse, fucceffurum mox in magisterio generali Hermanno de Salza. In bulla Innocentii IV an. 1244 data *bonae memoriae Conradus magister, antequam habitum religionis assumeret, Landgravius Thuringiæ*, ac brevi post, *b. m. Hermannus magister ac dictus Conradus successor ejusdem* legitur (s); unde anno isto utrumque sepultum jam fuisse apparet; id quod adversus Hartknochium (t) aliosque ordinis scriptores annotamus, qui Hermanni de Salza successorem constituunt Henricum nostrum Hoenloicum, ante Conradum Landgravium. Successisse autem Conrado Henricum in magisterio generali, chartæ veteres a. 1246 datæ conficiunt, in quibus *domus hospitalis S. Mariæ Theutoniarum Jerosolymit. magister* is simpliciter dicitur, absque Alemanniæ, Borussiæ, aliove epitheto (u). Sed & Luderus, magister generalis, dux Brunsvicensis, ubi privilegia civitatis Elbingensis a. 1334 confirmavit, *Henrici de Hohenloh & Karoli de Treveris magistrorum generalium*, vestigiis sese insistere fassus est (x). Fallitur itaque equestris ordinis Teut. chronicon Belgice scriptum, quod Bodonem Hoenloicum comitem a Conrado Landgravio primum Alemanniæ magistrum a. 1243 institutum esse tradit (y). Fallitur Venator (z), qui Henricum de Hohenloh cum Gothofredo Hohenloico, magistro generali a. 1298 electo

(s) Ayrmann de domo ord. Teut. in Marpurg ap. *Retter Hessische nachrichten* collect. II, p. 54.

(t) *Alt und Neu Preussen* p. 281, & in serie magistrorum ord. Teut. generalium Petri Dusburg. chronico præmissa.

(u) *Hanselmann* l. c. p. 359, 577. sq.

(x) *Hartknoch* l. c.

(y) *Matthæi analec̃ta vet. ævi* tom. V, pag. 733 & 769. ed. nov.

(z) Cap. VIII, pag. 102.

electo, manifesto confundit. Plena sunt errorum hæc ordinis Teut. initia.

THEODERICUS DE GRUNINGEN. An. 1245 mense Jul. frater Theodericus de Gruningen, præceptor Livoniæ, *vices magistri gerens per Alemanniam*, bona domus ordinis sui in Busenheim pro debitis solvendis, a magistro, fratre Henrico de Hoinlo, in curia Romana contractis, vendidit. (a). Unus idemque igitur sub Henrico magistro fuit Alemanniæ atque Livoniæ præceptor, hoc tantum discrimine, quod ad certum tempus Alemanniam Theodericus administravit, absente magistro, Livoniam contra per vitam suam retinuit omnem. Errant, (b) qui Theodericum hunc a. 1247, demum Livoniæ præfectum esse scribunt. In ferie Mergenthemii conspicua secundus Alemanniæ magister comparet supra dictus *Botto de Hohenlohe* ad an. 1241, qua fide nescio, imo Bodonem sive Bottonem illustrissimæ Hohenloicæ gentis genealogi ignorant.

EBERHARDUS DE SEYNE. Servatur Culmæ privilegium, quod a. 1251 civitati huic dedit Eberhardus dictus de Seyne præceptor domus S. Mariæ Teutonicorum per Alemanniam, & vices gerens magistri generalis per Livoniam & Prussiam (c). Tribus itaque Eberhardus hic provinciis majoribus simul præfuit; unde in catalogo magistrorum Livoniæ quoque ad a. 1256 comparet, in numero præceptorum Alemanniæ majore longe jure ponendus. Ignorat illum series Mergentheimensis.

D

CON-

(a) *Guden. cod. diplom.* tom. IV. pag. 881.

(b) *Gryphius entwurff der geistl. und weltl. Ritterorden* pag 87, & ex eo alii.

(c) *Hartknock ad Petr. Dusburgensis chron. Prussiae* pag. 453.

MDCCLXVII.

CONRADUS DE NUREMBERG *domus S. Mariae Theutonicorum per Allmanniam praeceptor* an. 1257 Henrico Tanzfusio, civi Moguntino, ejusque conjugii Juttæ curiam suam in Castele, proximo Moguntiae vico, (Cassel) ad dies vitæ possidendam tradidit, acceptis vicissim bonis ipsorum omnibus. Anno sequenti eosdem in confraternitatem ordinis suscepit. (d). Sunt, qui Conradum hunc ad Burggraviorum Noribergensium gentem referunt, (e) in qua tamen Falckensteinus, indagator hujus gentis, memoriam ejus nullam detexit. Id vero manifesto falsum, Conradum ad magisterium Germaniæ an. 1272 demum pervenisse, (f) septennioque post diem obiisse supremum (g).

WERNHERUS. Literis donationis, Teutonicæ domui & monasterio sanctimonialium in Diefendal a Moguntinis quibusdam factæ an. 1271, *Wernherus magister fratrum domus Theuton. in Alemania* sigillum suum appendit. (h). Ex traditione Mergenthemii servata Wernhero huic cognomen *de Battenberg Venator* (i) & successorem tribuit Conradum de Nurnberg, Gerhardum de Hirschberg contra, qui Wernherum sequitur, eidem anteponebat.

GERHARDUS DE HIRZBERG. Literis Marpurgi VI non. Martii an. 1274 datis *Fr. Gerhardus de Hirzperch, praeceptor fratrum domus Teutonice per Allemanniam, gerens vices magistri*
gene-

(d) *Guden. cod. dipl.* tom. IV, pag. 891. sq.

(e) *Venator bericht vom Teutschen Orden* p. 51.

(f) Ita habet series Mergentheim.

(g) *Oetter versuch einer geschichte der burggraven zu Nurnb*, tom. 1, pag. 274.

(h) *Guden. cod, dipl.* tom. IV, pag 914.

(i) Loc. alleg.

generalis, abbatissam & conventum dominarum in Quedlinburg participes fecit bonorum omnium universi ordinis sui operum. Appendet sigillum *preceptoris Allemannie*. (k).

Triennio post in vigilia palmar. *Gerhardus dictus Hirzesberch magister domorum & fratrum ordinis fratrum militiae domus Teutonice per Alemanniam* cum Sigelone & Wernhero, domuum in Winneheim & Hornecken commendatoribus, redditus censuales in Odenkeim & Opphauen (Edigheim & Oppau) abbatix Scho-naugienfi vendidit (l).

Dubitat Venator, Gerhardus hic secundus an tertius ordinis magister in Alemannia fuerit, qui, uti ex superioribus patescit, fuit minimum septimus. Quartum constituit series Mer-genthemii in conclavi majore depicta.

MATTHIAS. Cum Wernero Moguntino & Sifrido Coloniensi archiepiscopis *frater Mathias magister fratrum domus Teutonice per Alemanniam* arbiter fuit controversie inter Henricum archiep. Trevirensis & civitatem ad Confluentes an. 1281 (m).

CONRADUS DE FUCHTWANGEN. An. 1286 cum lis esset inter domum Teut. Moguntiae & monasterium Diefendalense, de juribus in Wisbaden exercendis, *Conradus de Vuthwangen, praeceptor domus Theutonice per Alemanniam*, Lutherum, commendatorem in Sassenhusen prope Francofurtum, ad componendam illam auctoritate sua munivit (n).

Anno sequenti VI idus Martii *Conradus de Fuchtwangen ordinis S. Mariae Theutonicorum per Alemanniam praeceptor* ordinationem quandam Hedewigis, viduae Eckehardi, scabini Wez-

D 2

lariensis

(k) *Erath cod. dipl. Quedlinb.* ad an. 1274, pag. 252. & tab. XXVII, 7. *ibid.*

(l) *Guden. sylloge diplom.* p. 264.

(m) *Honthelm hist. Trevir. diplom.* tom. I, pag. 814.

(n) *Guden. cod. dipl.* tom. IV, p. 955 & 957.

MDCCLXVII.

lariensis, & ejusdem religionis fororis, accedente consensu fratris Gerlaci de Didenshufen, commendatoris & aliorum fratrum ordinis sui in Marburg, confirmavit. (o). Secuta mox IV idus Maji ejusdem ordinationis per *Burchardum de Schwanden, magistrum (generalem) hospitalis S. Mariae Theuton. Jerosolymitani* confirmatio Marburgi (p).

In crastino b. Gregorii Papæ hujus anni *Cunradus de Vuthwange, fratrum domus Theut. S. Mariae Jherosolym. per Alemanniam praeceptor* & frater Lutherus, commendator domus in Francofurto, Cunoni de Minzinberg datis literis caverunt de XI mansis in Eckenheim, quos ipsis dono dederat, ab ordine Teutonico nunquam alienandis. (q) Quarto nonas Junii *Conradus de Vutdewangen praeceptor & fratres ordinis S. Mariae Theutonorum per Alemanniam* cum Ottone, Nassoviæ comite, de decimis & jure patronatus plurium locorum transegerunt. (r) Scriptores ordinis Conradum hunc in capitulo Marburgi habito an. 1279 magistrum provincialem Prussiæ & Livoniæ constitutum esse, atque magistratu hoc propter valetudinem adversam se deinceps abdicasse tradunt; (s) quod si verum, duabus provinciis unam Alemanniam, patriam suam, prætulit, ad magistrum generale in locum Burchardi de Schwanden an. 1290 denique promovendus.

Oritur hic nobis hiatus, quem series Mergentheim. sæpius memorata ita supplet:
Godefridus Dominus de Hohenlohe 1290.

Cyri-

(o) In documentis ad scriptum ordinis Teut. contra Hassos sub rubro, *Entdecker ungrund* &c. a. 1753 Francofurti editum, num. XL.

(p) Ibid. num. XXXVI.

(q) *Guden. cod. dipl.* tom. IV, p. 959.

(r) Ibid. tom. III, pag. 1167.

(s) Vid. *Duelli* part. I, pag. 23.

Cyriacus de Stette 1294. Libere resignavit.

Johannes de Nesselrod 1297.

Sigfridus de Feuchtwangen 1298.

Würich de Bosweiler vel Buffweiler 1303.

At subleſtam omnino eſſe hujus traditionis fidem, tum ex ſuperioribus, tum ex hoc quoque pateſcit, quod Cyriacus ille de Stette in actis antiquis ad an. 1329 demum ſub vero ſuo nomine *Zuricho de Steten*, uti mox videbimus, comparet.

EBERHARDUS DE SULZBERG. Reditus decem librarum Hal. in Wetſlaria ab Agnete, regina Hungariæ, dono ſe accepiffe teſtati ſunt *Eberhardus de Sulzberg ordinis S. Mariæ Theutonicorum Irlm. per Alemaniam præceptor & frater Henricus de Varnila commendator in Marburg XII Kal. Apr. a. 1308 (t)*.

Contractum domus ordinis ſui Marpurgenſis cum capitulo Wetſlarienſi factum idem *Eberhardus de Sulzberch ordinis S. Mariæ fratrum Theutonicorum per Alemaniam præceptor VI Kal. Apr. 1314 confirmavit (u)*.

In octava b. Martini ejusdem anni Otto Landgravius Haſſiæ *Ebirhardo de Sultzberg magiſtro ordinis domus Theutonicorum ceterisque fratribus domus Marpurg quinquaginta marcas argenti puri ſe debere profeſſus eſt (x)*.

Biennio poſt Bertradis, abbatiffa Padenhuſana, reditus quosdam beneficio fratrum Teutonicorum Saxenhuſæ degentium accepit, conſenſu religioſi & circumſpecti viri *Eberhardi de Sulzberg, ordinis per Alemaniam præceptoris (y)*.

D 3

Magi-

(t) *Guden. cod. dipl.* tom. IV, pag. 1003.

(u) *Ibid.* pag. 1012.

(x) *Unterricht und Deduction von des Teuſchen Ritter-Ordens Privilegien*, in docum. n. 82.

(y) *Guden. cod. dipl.* tom. III, pag. 743.

MDCCLXVII.

Magister generalis tunc temporis fuit *Carolus de Trevisis*, qui ex castro S. Mariæ (Marienburg) domo sua principali, generali capitulo ibidem habito, promovendæ structuræ ecclesiæ domus suæ in Marpurg an. 1314 prospexit (z).

CONRADUS DE GUNDELFINGEN. Magister hic Teutonici ordinis in Alemannia testis interfuit negotio pacis inter Ludovicum IV & Fridericum Aufriacum, reges Romanorum, die Jovis ante nativitatem b. Mariæ an. 1325 Monachii signatæ. (a) Secundum auctorem Mergentheim. is an. 1317 ordini suo præesse jam coepit.

ZURICHO DE STETEN. Memoria hujus magistri per Germaniam debetur literis Ludovici senioris, comitis a Rieneck, quibus una cum conjuge sua, Elifabeta Hohloica, homines suos in Profelden, Neuenbuch, Faulenbach & Breitenbrunn an. 1329 Teutonico ordini tradidit (b).

WOLFRAMUS DE NELLENBURG. Laudat hunc *magistrum domus Teut. per Allemanniam*, & Heinricum de Zipplingen, commendatorem provincialem ejusdem domus per Franconiam, secretarios suos, Ludovicus IV imp. in diplomate, 20 Dec. 1331 Francofurti dato, quo privilegium Friderici II imp. pro Teutonico ordine confirmat (c).

Biennio post Wolframus hic nonnullas ordinis sui domos, Mergenthemium maxime & Brotfeldam, ecclesiæ Mogunt. tutelæ commisit, octoginta libras Halensium vicissim pollicitus; idem-

(z) *Entdecker ungrund* &c. in docum. n. 37 sq.

(a) *Limn. de jure publ.* Lib. II, cap. 2. *Du Mont. corps dipl.* tom. I, part. II, p. 80.

(b) *Guden. cod. dipl.* tom. IV, pag. 1041.

(c) In document. *Historisch-diplomatisher unterricht und grundlegende Deduction* &c. num. XIV.

idemque in ufum domus suæ Moguntiae ad urbis hujus moenia plateam an. 1339 accepit (d).

Sed & an. 1347 mense Nov. Wolframus de Nelnburch *praeceptor Alamaniae*, & Bertoldus Burgravius de Nurnberch, provincialis Franconiae, privilegii Fridericiani confirmationem a Carolo IV rege Rom. Noribergæ impetrarunt (e).

Ineunte an. 1354 imperator hic cum Gerlaco, archiepiscopo Mogunt. Cunonem de Falckenstein, Canonicum ejusdem ecclesiae, reconciliavit Moguntiae, ubi inter testes post electores, episcopos, duces, comites occurrunt Wolframus de Nellenburg & Herdegenus, Teutonici ac Johannitici ordinum magistri per Germaniam, viri honorabiles. (f) Sub finem anni sequentis Wolframus noster, *praeceptor Alamanniae*, cum provinciali Bohemiae & Moraviae ad eundem Carolum Noribergam rediit, ut post regiam, quam supra obtinuisse diximus, nunc imperialem quoque confirmationem impetraret (g).

PHILIPPUS DE BICKENBACH. Vivo Wolframo magistro Philippus hic, *religiosus fr. domus Teut. ord. S. Mariae hospitalis Jerusalem.* Carolo IV grata obsequia Romæ & in Italia ordinis sui nomine multa liberaliter exhibuit; quamobrem cæsar, Pisis hærens,

IV

(d) *Guden. cod. dipl.* tom. IV, pag. 1044 & 1047. In priore charta *Gebieder des Deutschen Ordens zu Deutschen Landen*; in posteriore *oberster Meister Dutsches Ordens in Dutschen Lande* vernacule scribitur.

(e) In scripto ord. Teut. contra Hassos supra laudato, Document. n. XV, & *Lunig Spicil. eccles.* tom. I, contin. I. cap. 3. n. XII, nec non in *rotulo docum.* ad acta ord. Teut. cum Noriberga p. 7.

(f) *Guden. cod. diplom.* tom. III, p. 367.

(g) *Duell. Hist. ord. Teut.* in append. num. XXI. & *Lunig part. spec.* cont. 1. in appendice de ord. Teut. & Johann. *Rotulus documentor*, alleg. p. 12.

MCCCLXVII.

IV idus Maji judicium sanguinis in Brotsfelden, oppido muris & fossis muniendo, ipsis & commendatoribus loci permisit (h).

Decennio post Carolus imp. dato Heilbronnæ mandato universis imperii principibus & civitatibus imperavit, ut si qui fratres ordinis Teut. suo in Germania magistro, *Philippo de Bickenhenbach*, aut successoribus ejus parere noluerint, magistris his opem ferant adversus contumaces (i).

Subjungit ei series Mergentheimensis. Gottfridum comitem de Hanau ad a. 1375.

JO. DE HEYN. Carolus IV imp. Johannis de Heyn, magistri ordinis Teut. per Alemanniam & Italiam, consilarii sui, indutus precibus, præcepto generali, die S. Ægidii an. 1376 Noribergæ dato, jura & privilegia ordinis hujus a quovis servari custodiri que jussit (k). Successit ei ex ferie Mergentheim. Conradus de Riede an. 1380.

SEYFRIDUS DE VENNINGEN. Quem domus Wissenburg. commendatorem supra laudavimus, (l) eundem postea ordini suo per totam Alemanniam præfectum legimus. Wenceslaus rex Rom. ordinis S. Mariae hospitalis Jerusalemiani domus Teuthonice præceptorem per Alemaniam generalem eum & consiliarium suum vocat in diplomate, quo patris sui & aliorum imperatorum privilegia, ordini concessa, confirmavit. Datum id Noribergæ

(h) *Gudenus cod. dipl.* tom. III, pag. 385 Philippum de Bickenbach ordinis Teut. magistrum ex hac jam charta constituit, male, quod Wolframum magistrum tum adhuc vixisse, ex superioribus certum est.

(i) *Rotul. docum.* ad acta ord. Teut. cum Noriberga p. 25 sq. *Lunig arch. imp.* part. spec. continuat. 1, fort. 3 in append. de Ord. Teut. pag. 13.

(k) *Rotul. docum.* laudatus pag. 21, & *Lunig* part. spec. l. c. p. 14.

(l) Pag. 16.

bergæ XVI Kal. Nov. an. 1383. (m) Sexennio post idem magistrum hunc Alemanniæ & ordinem Teut. novo immunitatis privilegio munivit. (n) Seyfridas datis Winhemii literis die Sat. ante S. Urbani 1391 archiepiscopo Mogunt. Conrado Wintersperg. cavit de venatione precaria in silva Speshart. (o) Humbrachus (p) mortem ejus ad an. 1395 refert. Successor fuit ex serie Mergentheim. Johannes de Ketze an. 1396.

CONRADUS DE EGLOFFSTEIN. Mense Januario an. 1398 magister hic ordinis Teut. per Alemanniam & Italiam a Wenceslao cæsare Francofurti literas accepit, quibus vetitum repetere adventitios aliunde homines, qui Mergenthemii aliisve ordinis locis annum & diem confederint. (q)

Mense Nov. an. 1402 idem Conradus magister Rupertum regem Rom. Noribergæ precibus suis induxit, ut irrita pronuntiaret, quæcunque Wenceslaus damno ordinis Teut. aliis concesserit, aut concessurus sit ipse. Anno sequenti ad eundem principem Conradus accessit Heidelbergam, ubi omnium ordinis sui jurium, privilegiorum & possessionum confirmationem, æque ac a Sigismundo imp. deinceps Bonnæ an. 1414, impetravit. Uterque cæsar eum vocat a consiliis suis, & quidem Rupertus a sanctioribus. (r) A. 1410 cum magistro Livoniæ interfuit electioni Henrici de Plauen, magistri generalis in Borussia. (s)

E

DIE-

(m) *Duell. hist. ord. Teut.* in append. n. XXI. Extat idem diploma in *Rotulo documentor.* p. 26, ap. *Lunig* part. spec. l. c. pag. 15 sq. & in *historisch. diplomatischer Unterricht* n. XVIII.

(n) *Lunig* l. c. pag. 16.

(o) *Guden. cod. diplom.* tom. III, p. 595.

(p) *Vom Rhein. adel* p. 142.

(q) *Rotul. docum.* p. 38, & *Lunig* l. c. p. 17.

(r) Tria hæc instrumenta in *Historisch-diplomat. Unterricht* n. XIX. XX & XXI. *Rotul. docum.* p. 40 sqq. *Lunig* l. c. p. 18.

(s) *Supplem. chronici Prussiae Petri Dusburg.* cap. XXXVI.

DIETERICUS DE WEITERSHAUSEN. Mentionem hujus magistri facit Ludovicus, magister generalis, uti in Jodoco de Venningen mox videbimus. Apponit an. 1416 series Mergenth. quam in scribendo nomine Weitershausen malumus sequi, quam Lunigium, orthographiæ parum studiosum, qui Dietericum hunc de *Winterhusen* appellat.

EBERHARDUS DE SAUNSHAIM. Procuratorio nomine venerabilis & religiosi viri *Fr. Eberhardi de Saunshaim hospitalis b. Mariæ Teutonicorum Jerusalemiani per Alemanniam & Italiam magistri & praeceptoris* Johannes de Hofheim ejusdem ordinis presbyter professus an. 1422 in curia Spirensi quædam peregit. (t)

An. 1431 magister hic capitulo ecclesiæ collegiatæ Aschafenburg. reditus quosdam vendidit, (u) novennioque post Mergenthemio ad archiepiscopum Mogunt. hanc domum suam, nisi ipse defendat, periclitari scripsit (w).

In tabulario Argentinensi codex membr. extat, instituta & regulas ordinis Teut. continens, in quo decreta capituli generalis Marienburgi in Borussia die dom. ante S. Ægidii 1442 a magistro Conrado de Erlichshufen habiti comparent, & in his nomina Eberhardi de Sawsheim atque Heydenrici Finckii, præceptorum ordinis per Germaniam atque Livoniam. (x) Statuitur porro necesse esse ut libri ordinis recenseantur & quæ in iis discrepant, tollantur, quorum exemplum unum Mariæburgi in Borussia, alterum Horneccæ in Germania, tertium Riegæ in Livonia

(t) *Duell.* part. 2, pag. 25.

(u) *Gudsm. cod. dipl.* tom. 2, p. 357.

(w) *Ibid.* tom. 4, pag. 261.

(x) *Eberhard von Sawsheim in Deutzschen u. Welchen Landen, Heydenrich Fincken zu Liefflant unsers ordens obirften gebietigern.*

voniam reponantur; unde Horneccam tum ordinis in Germania sedem primariam fuisse intelligimus.

Eberhardum Saunshemium in serie Mergenth. sequitur Eberhardus de Stetten ad an. 1444.

JODOCUS DE VENNINGEN. Inter Palatinatus ordines vasallos & ministeriales, quos dux Fridericus I, administrator electoratus & Philippi Ingenui tutor, an. 1452 Heidelbergam convocavit, atque de hujus ex fratre nepotis sui arrogatione consuluit, post Rheinhartos, WORMAT. & Spirenses episcopos, primus comparuit *Jost von Veningen meyster Dutsches ordens in Dutschen u. Welfschen landen*, (y) qui interfuit quoque anno sequenti compositioni inter Dietrici, archiep. Mogunt. & Friderici Palatini partes WORMATIÆ factæ. (z)

Cum Trajectensis ad Rhenum & Westphaliæ commendatores provinciales de domibus ordinis sui in Tiele & Otmarfen litigassent, utroque ad provinciam suam eas pertinere urgente, pro Westphalia magister generalis, Ludovicus de Erlichhusen, post Conradum de Egloffstein & Dietericum de Wintershusen, magistros Alemanniæ, sententiam pronuntiavit. Sententiam hanc die S. Margarethæ 1453 Horneccæ publicavit idem Jodocus de Venningen, ordinis Teut. per Alemanniam & Italiam magister. (a)

Abdicavit se magistratu suo Jodocus an. 1454; tumque magister generalis Ulricum de Lentersheim, commendatorem provincialem Franconiæ, in locum ejus suffecit. (b)

E 2

ULRI-

(y) *Kremer Geschichte des Kurf. Friedrichs I*, in docum. n. XVI.

(z) *Ibidem* num. XXVIII.

(a) *Lunig Spicil. eccles.* cont. pag. 373.

(b) *Falkensteinii antiquit. Nordgav.* part. 2, pag. 119, ubi de antiqua hac Franconiæ familia agitur.

MDCCLXVII

ULRICUS DE LENTERSHEIM. Confiliis & ministerio magistri hujus Teutonici non semel usi sunt Fridericus I & Philippus, electores Palatini, ille in negotio foederis cum Georgio, rege Bohemiæ, an. 1459 Egræ istî (c), & in pacandis Werthemii comitibus cum militibus de Walborn an. 1472 (d); hic in recipiendis castris, oppidis & locis multis, quæ Fridericus patruus filio suo naturali, Ludovico de Bavaria, reliquerat an. 1477 (e). In prima & tertia his chartis *Leitersheim* pro Lentersheim, in secunda *Contersheim* errore vel calami vel typographi, ubique vero magister ord. Teut. per Germaniam & Italiam vernacule scribitur.

In rebus ordinis sui cum Wiperto Leone de Steinfurt, commendatore Brotsfeldæ, reditus quosdam capitulo Aschaffenburgensi an. 1458, & cum Nicolao de Mulhusen, commendatore Moguntinæ, jus patronatus in Wisbaden Nassoviæ comitibus an. 1465 vendidit. (f) Anno sequenti bellum indixit Johanni comiti de Wertheim, propter arma Henrico Wirtenbergico, ecclesiæ Moguntinæ coadjutori, patrono & amico suo, illata. (g) Sedisse eum Horneccæ ad Nicrum & diem suum an. 1479 obiisse, ex relatione Mergenthemio ad se missa Falckensteinius (h) tradit. At monumentum Ulrici sepulcrale, cujus verba supra (i) dedimus, alia nos docet, eaque longe certiora.

REIN-

(c) *Kremer* l. c. num. LVIII.

(d) *Retteri Hessische Nachrichten*, collect. II. pag. 170.

(e) *Kremer* l. c. num. CLXXXIX.

(f) *Guden. cod. diplom.* tom. II, pag. 358, & tom. IV, pag. 381.

(g) *Falckenstein antiq. Nordg.* part. 2, pag. 120.

(h) *Ibidem*.

(i) Pag. 17.

REINHARDUS DE NEUPERG. Ad cognoscendam & componendam, quæ inter domum Teutonicam Marburgi & civitatem hanc agebatur, litem Reinhardus de *Nyperck*, *meister Teutshes ordens in Teutschen und Welschen Landen*, commendatorem domus Francofurtensis, Pancratium de Reinstein, & Tichenium cancellarium suum an. 1486 eo misit; (k) ipseque anno seq. assumtis commendatoribus quatuor, provinciali Franconiæ, Mergenthemiano, Ellingenfi & Virnspergenfi, de controversia alia cum civitate Noribergenfi transegit. (l)

ANDREAS DE GRUMBACH Magisterium ex serie Mergentheim. adeptus est an. 1490. Sexennio post ineunte Dietricus de Clee, domus Marburg. commendator, bona quædam cum Wilhelmo juniore, Landgravio Hassiæ, commutavit, annuente magistro suo, *Enders von Grumbach &c.* qui & ipse instrumento huic sigillum suum appendit. (m) Venator ex actis in tabulario Mergenthemii residuis refert, Andream hunc misisse in Italiam, qui de rerum ordinis in illis partibus statu minime læto cognoscerent, quum commendæ provinciales Siciliæ, Apuliæ & Longobardiæ bonis suis maximam partem spoliatæ jam essent. (n).

HARTMANNUS DE STOCKHEIM. Cum privilegiis cæsarum Teutonico ordini judicia capitalia in terris suis concessa essent, Hartmannus hic per Alemanniam & Italiam a tribus annis magister, judiciis istis ad domum Marburgensem spectantibus Johannem de Hohenfels, ordinis equitem, præfecit die Merc. an-

E 3

te

(k) *Historisch-diplom. Unterricht u. Deduction &c.* in docum. num. 103.

(l) *Acta ord. Teut. cum Noriberga in rotulo docum. pag. 79. Lunig part. spec. cont. I, in append. de ord. Teut. p. 41.*

(m) *Historisch-diplom. Unterricht &c.* num. 117.

(n) *Bericht vom Teutschen Orden* p. 203.

MDCCLXVII.

te dominicam reminiscere an. 1503, (o) vita munereque suo defuncturus an. 1510.

JOHANNES DE ADELMANSFELDEN. Extant literæ a Landgravia & statibus Hassiæ ad Johannem de Adelmansfelden, principem Imperii & ordinis Teut. per Germaniam atque Italiam magistrum, a. 1514 scriptæ, quibus eum rogant, ne Dietericum a Cleen, commendatorem provinciam Hassiæ, quod Ludovicus de Boyneburg cum sociis suis urgebat, loco hoc suo moveret. (p)

Habemus hic primam magistri Germaniæ in principum numero collocati memoriam, ante honores magisterii generalis in eum translato, quos qui antea gessere, principes imperii a longo jam tempore nuncupari assueverant. Theodoricum de Aldenburg, magistrum generalem, Ludovicus IV imp. *principem S. S. R. rarissimum* dixit in privilegio Teutonico ordini an. 1337 dato. (q)

DIETERICUS A CLEEN ultimus fuit tum gentis suæ, tum ordinis Teut. per Germaniam magister absque administratione Boruffiæ. Hoc enim Cleenio magistro accidit magisterii generalis in Boruffia, Alberti Brandenburgici, ab ordine suo & Germaniæ regno ad Poloniam defectio; qua senex septuagenarius adeo affectus est, ut anno sequenti 1526 fasces suos deponeret Mergenthemii, locumque faceret Walthero de Cronberg, qui administratoris magni magisterii Boruffici titulum cum magisterio per Germaniam & Italiam primus conjunxit. Cleenius onere suo solutus Wissenburgum secessit, ibique ineunte anno 1531, ætatis 75, ut ex epitaphio ejus supra (r) allato patet, diem supremum obiit.

Hum-

(o) *Historisch-diplom. Unterricht* &c. num. 109.

(p) *Ibidem* num. 111.

(q) *Lunig* part. spec. cont. 1, in append. de ord. Teut. p. 7.

(r) Pag. 17.

Humbractus (s) Gotfridum, præfectum Darmstadiensem an. 1489, Cleenizæ gentis postremum constituit, refragante, quod ille non viderat, Dietrici nostri monumento sepulchrali.

Obvia est ab hac epocha magistrorum ord. Teut. series, in qua HENRICUS DE BOBENHAUSEN an. 1574 comparet, idem qui an. 1595, d. 21 Mart. Wissenburgi, uti ex lapide ejus sepulchrali supra retulimus, sepultus est. Errant, qui ex familia Bobenhufia, quæ in Hassia adhuc floret, oriundum eum fuisse tradunt. Bobenhufium comitatus Hanoviensis castrum & oppidum est, cujus præfecturam administravit Eberhardus, Henrici nostri frater, teste Humbrachto (t). Henricus autem, Cleenii imitatus exemplum, decem ante obitum suum annis validiori principi, Maximiliano archiduci, loco cessit, reliquamque ætatem Wissenburgi transegit quiete.

Hertensis ad Rhenum canonicorum regularium ord. S. Augustini ecclesiæ, ab Hermanno quodam, viro ingenuo, a. 1103 institutz, templum, cruciforme olim & quadratis lapidibus magnifice exstructum, desertum nunc est testoque plane nudum. Ubi refectorium fuit, scripturæ veteris per omnem murum interiorem vestigia supersunt, qua præpositorum seriem descriptam fuisse colligitur ex paucis, quæ legi adhuc possunt, literis, sed & ita fugientibus, ut vix una alterave, quam dignoscas, brevi sit remanura. Quæ remanent, ecce habes:

Hert.

Num. V.

ANNO DNI MCXL. O.

ANNO DNI MCLVII. O. BURCHARDUS PPTVS II.

ANNO DNI MCLXX. O. ALBERTUS PPTVS III.

ANNO

(s) *Von der Rheinischen Ritterchaft* fol. 261.

(t) *Ibidem* fol. 7.

MDCCLXVII.

ANNO DNI MCXCIII. O. CUNRADUS PPTUS IIII.

Desideratur primi præpositi nomen, quod ex bulla Innocentii II papæ, *dilecto filio ANSHELMO præposito Hertensis ecclesie* inscripta, restituimus. Pontifex ei confirmat, quæ Johannes, episcopus Spirensis, in moniales S. Georgii, proxime habitantes, jura paulo ante concesserat. Monasterium hoc monialium, quæ præpositi atque conventus ejus fuerant curæ filiarum instar commissæ, recentiore ævo in ecclesiam parochialem Hertensis vici conversum est. Canonici b. Mariam virginem, sanctimoniales S. Georgium patronos colebant.

Primus itaque novi monasterii præpositus fuit Anshelmus, secundus Burchardus, quem aliunde non novimus. At qui ei successit, Albertus, ex Guntheri, episcopi Spirensis, charta quoque innotescit, qua is capellam S. Ægidii, in suburbio Spir. ædificatam, cum hospitali adjuncto S. Mariæ Hertensis coenobii a. 1148 tradidit.

Hoc Alberto præposito ecclesia Hertensis aucta est an. 1155 insigni Friderici I imp. in castro Trifels supra Landaviam tum hærentis, privilegio, quod tanto magis producimus, quod inter testes ejus fuit imperatoris frater *Conradus Palatinus comes de Reno*.

Quartus præpositus fuit CUNRADUS, qui *sanctæ Herdensis ecclesie humilis minister* scribi voluit in literis Vimarii cujusdam & uxoris ejus Agnetis, quibus hi bona sua in marca *Leimersheim* an. 1182 dono contulerunt. Invisisse Hertam Fridericum imp. a. 1175, ex præcepto colligimus, quo Conradi militis de Rulichesheim erga Hertenses liberalitatem cæsar probavit, admissis testibus ex propinquis Hertæ locis, *Leimersheim, Bergen, Germersheim & Rulichesheim*, imo re ipsa peracta apud Rulichesheim, hodie *Rültzheim*, qui vicus Hertensibus proximus.

Patris exemplum secutus Henricus VI imp. possessiones Hertensium universas, præsertim in *Offenbach & Altheim*, a Conrado

do de Riet acceptas, in palatio suo Lutrensi an. 1195 rite confirmavit.

Accessere quoque ad monasterium Philippus & Fridericus II reges Rom. Henrici VI frater & filius, idque in proxima arce *Spiegelberg*, cujus vix nomen adhuc remanet, majestatis suæ edictis adversus conatus aliorum inimicos validissime munierunt. Ex Fridericiano patet, Hertenses in bonis suis *Dandestat & Rorbach* a Wernhero de Bolandia fuisse turbatos.

N. X. XI.

A. 1254 mediis in Germaniæ turbis Henricus de Lachen, præceptor in Heimbach, cum conventu suo ordinis S Johannis, nec non Brumseri & Rudeshemii nobiles varia jura & bona in *Knittelsheim* Hertensi tradiderunt monasterio. Altum de præpositis monasterii hoc tempore silentium. Occurrit Waltherus prior & conventus in Herta a. 1267, unde vacasse tum præposituram colligimus. At decennio post VOLPERTUS præpositus per Heinricum de Bannackher militem & Fridericum Germershemii burggravium cum vicinis Hertensibus de lite transegit.

Alia de jure piscandi lis cum iisdem a. 1280 ab eodem præposito composita. Floruisse tum opibus monasterium, incrementa docent bonorum, castrum nempe & villa *Leimersheim, Kuhart & Winden* (u) vici, cum dimidia parte vici *Pfotz*, quorum dominium directum erat penes ecclesiam Spirensis, feudale

F

dale

(u) Perit hic vicus aut saltem nomen mutavit. Cum an. 1407 præpositura Hertensis de Bernhardo marchione Badensi queretur, eum auferre sibi trajectum Rheni ad *Winden*, hic respondit, accepisse se jus trajecti prope *Schreck* a patre suo atque tutore, Ruperto seniore Palatino. Arbitræ litis, Fridericus archiep. Mog. Bernhardo jus suum confirmavit. Renovata lite an. 1453, Dietherus archiep. iterum Badenibus favit, quibus in literis verba occurrunt memoratu digna: *von fahrs wegen zu Winden nu genant Schreck*. Corrigena hinc *Alsatia illustr.* tom. II, pag. 179 & 186, ubi Winden Bipontini juris nunc esse dicitur. Fuere duo hujus nominis vici, alter Hertensis ad Rhenum, alter Bipontinus ad Vogesum.

MDCCLXVII.

dale penes Ebersteinios & Geminipontis comites, a quibus Fleckensteinii nobiles in subfeudum ea acceperunt. Fleckensteinii hi, Petrus nempe, canonicus ecclesiæ maj. Spirensis, ac Rudolphi & Friderici fratrum liberi, sub tutela Philippi de Bolandia constituti, a. 1270 bona ista episcopi Spir. Heinrici, nec non Ottonis Ebersteinii & Simonis Geminipontis comitum consensu monasterio Hertensi vendiderunt. Literas consensus comitum

N. XII. infra producimus, in quibus præter alios testis Hugo de *Spigelberc*. Rudolphi & Friderici de Fleckenstein filii duo, uterque Henricus dictus, quum adolevissent, una cum patruo suo, Petro, præposito Spirensi, an. 1281 vigilia b. Matthiæ venditionem hanc quoque ratam habuerunt.

Volperti successor haud dubie fuit HENRICUS præpositus, qui curias duas in *Steinweiler & Caule* tertio nonas Apr. 1299 abbatiae Selsenfi vendidit. Advocatus tum Spirigoviæ, Fridericus Leiningæ comes, controversiam quandam inter præposituram Herdensem & vicum Dettenheim Alberti regis nomine decidit.

N. XIII. Monasterii possessionibus Albertus ille Rom. rex, jus pascendi in *Bellenheim*, vico tum imperiali, addidit, & in nemore *Sungholz* dicto; idque ab advocato suo Spirigoviæ, Henrico Bannacker, custodiri iussit. Ejusdem præposituræ curiam in *Danstatt* Rudolphus, augustæ domus Palatinæ ad Rhenum conditor, an. 1314, hujusque filius Rupertus an. 1331 privilegio quodam immunitatis ornarunt. Præfuit tunc monasterio JACOBUS, qui a. 1328 bona sua Mulhusii cum aliis bonis in *Ottersheim* commutavit. Successit ei VOLZO, qui cum abbazia Gottsviensi de Rheni alveis inter *Pfotz & Winden* postridie exaltationis S. Crucis an. 1336 transegit. (x) In literis Ruperti senioris

(x) Extat charta in *Schoepflini Histor. Zaringo-Badensi*, cod. diplom. tom. I, n. 254.

nioris, electoris Palat. die post S. Georg. 1359 datis, HUGO DE ZEISKHEIM præpositus Hert. legitur, quem anno sequenti ejusdem electoris consiliarius, Wernerus Knebel, burggravius in Stralenberg, Conradus Landschaden, vicedominus Neostadiensis, & Eberhardus de Lachen, burggravius Germersheimensis cum vicinis Pfoztanis, de jure lignandi cum ipso litigantibus, reconciliarunt. Idem inter præposituram & vicum Hert. effecit Henricus comes Sponheim. militiæ Palatinatus, qui trans Rhenum nobis, præfectus an. 1384 feria post purificationem b. Mariæ virg. secunda.

In compositione cum abbacia Gottfaviensi an. 1361 inita pars illa Rheni, quæ inter Pfozt & Winden decurrit, cum infulis, pascuis, filvis & foveis suis auri (y) abbatiæ huic & præposituræ Hertensi communis esse pronuntiatur.

An. 1418 die S. Viti & Matthæi Henricus de Merberg, vicedominus Neostad. Jeckel de Danstatt scultetus & Arnoldus Schlieder de Lachen, culinæ præfectus, nomine principis sui, Ludovici electoris, auctores fuerunt transactionis inter WERNHERUM DE WALDHEIM præpositum & Johannem Otterbacensem de jure pascuorum in Otterbach.

An. 1454 præpositus, HEINRICUS DE MULHOFFEN, & Matthias Abbas Gottfaviensis lites denuo inter se exortas amica compositione terminarunt.

An. 1471 BERNHARDUM DE ANGELOCH monasterio præpositum reperimus, in alia transactionis cum Gottfaviensibus charta, isque triennio post invito capitulo suo cum vico Hert. controversias quasdam diremit, intercedente Johanne de Gemmingen, præfecto Germersheimensi, de quo superius.

F 2

Fratres

(y *Goldgruben*. De Rheno aurifero legatur illustris *Schoepflini* excursus in *Alsat. illustr.* tom. I, p. 29.

MDCCLXVII.

Fratres capituli tum temporis equeſtri natos fuiſſe genere, ex instrumento patet, quod transactioni præpoſiti ſui oppoſuerunt, Reinhardus de Menzingen, Eberhardus de Lautern, Conradus Bock de Erpſten, Conradus Nagel de Kinspach, Jo. de Wietſtatt & Eberhardus de Angeloch, ejuſdem omnes capituli, an. 1478 die S. Ægidii.

Primus horum canonicorum, REINHARDUS DE MENZINGEN Bernhardum de Angeloch in præpoſitura exceperat an. 1486 die veneris poſt natalem Chriſti, quo Joh. de Venningen, Gemmingii in advocatia Germersheim. ſucceſſor, ipſum quoque cum vico Hert. reconciliavit.

FLORENUS SCHLIEDER DE LACHEN præpoſitus die martis poſt concept. Mariæ 1499 cum vico *Dettenheim*, & die ven. poſt aſſumpt. Mariæ 1516 cum vico *Pfotz* in gratiam rediit. Addimus lapidem ejus ſepulcralem, qui in ruinis eccleſiæ Hert. ſuperreſt:

ANNO DNI MILLESIMO QUINGENTESIMO VICESIMO SEXTO DIE DECIMA SEPTIMA MENSIS JANUARIi OBIIT VENERABIL. ET NOBILIS DNS FLORENUS SCHLEDER DE LACHEN HUIJUS EDIS PPTUS CUJUS A. REQUIËSCAT IN PACE.

Succeſſorem ejus, SIGMUNDUM DE WITSTAT, dictum *Hagenbuch*, acta an. 1528 & 1539 commemorant. Ab ipſo & capitulo ejus Pfozenſes an. 1535 impetrarunt, ut vicum ſuum propter pericula Rheni, qui plurimas jam domos abſtulerat, in eum, quem hodie occupat, locum transferrent.

Dein ſecutus eſt præpoſitus MELCHIOR REUSS. DE ALBSHEIM, juxta Schliederum de Lachen ſepultus:

ANNO DNI 1550. DNICA JUBILATE DIE 27 MENSIS APRILIS OBIIT VENERABILIS ET NOBILIS DNS MELCHIOR REUSS DE ALBZHEIM PPTUS HUIJUS AEDIS. CUJUS AIA REQUIËSCAT IN PACE.

Serva-



Servatur præterea in eadem veteris ecclesiæ area epitaphium Huperti de *Rydeshaim*, canonici Hertensis, die 23 Martii 1559 defuncti.

Successerat Reuffio ULRICUS DE BERNBACH, & omnem præpositorum seriem denique clausit WENDELINUS DE REMCHINGEN a. 1566 extinctus, qui triennio ante cum vico Hertensi postremo transegerat.

Sed & Romanæ antiquitatis monumenta Hertæ inventa, indeque cum Godramsteinensibus Mannhemium translata sunt, fragmentum columnæ porphyreticæ, cujus diameter VII digitorum, & anaglyphum ex lapide, figuram muliebrem exprimens sacrificantem, Vestam aut Vestalem si ignem accensum spectes, aut si avem superne additam pro pavone accipias, Junonem. Dextra manu pateram, sinistra arcam quandam tenet, thurariam scilicet, sacrificiis sacram.

Tab. III.
fig. 1.

Qui pro Vesta habet, hancque deam pro tellure a veteribus multis acceptam cogitat, ipsum loci, in quo lapis repertus est, nomen *Hert* (h. e. *Erd*) inde facile deducet; quemadmodum terram matrem, commune plurium Germaniæ populorum numen, Tacitus cum eadem aspiratione *Herthum* appellavit. (z) Quin etiam, si locum aut nomen ejus monumento antiquiorem crederes, propter idem hoc nomen Vestæ sacra ibi facta esse dici posset.

At quantumvis ingeniosa & verisimilia hæc videri possint, nos certe, ne fidem adhibeamus, cohibet avis, quam pavonem esse, certissime nobis persuadet ara paucis abhinc annis Stocksberga, ord. Teut. in Craichgovia castro, Mannhemium quoque allata, in qua præter Vulcanum, Herculem atque Minervam

Fig. 2.

(a) eadem muliebris figura, crassa quidem minerva atque velata,

F 3 ta,

(z) *De mor. Germ.* 40.

(a) Lapidem hunc integrum æri incidi & operi suo historico inferi curavit *Chr. Fr. Sattler*, diligentiss. rer. Wirtenberg. scriptor, tom. IV, tab. III.

MDCCLXVII.

ta, at distincte tamen cum pavone, exculpta est; unde, ne dubium supersit, imaginem istam Hertensi junximus, tanto magis, quod ad vindicandam nostram de Godramsteinensi lapide opinionem supra (b) prolatam apprime quoque facit. Quid si in hoc imperii ad Rhenum limite, mixtione quadam religionum, Romanæ, Gallicæ atque Germanicæ, admixta sorores duas Junonem ac Vestam ab accolis fusas in unam esse statuamus. Frequentissimi in oris nostris sunt dii Mercurius, Minerva & Hercules, quorum illos a Gallis, hunc insuper a Germanis maxime cultos fuisse ex Cæsare & Tacito novimus. Accessit serius ex Romana superstitione aut Juno aut Vesta, quæ ut civitate donaretur, utriusque deæ virtutes, in peregrino hoc solo, forte mentita est.

Eppingen

Hæc in præfectura Germersheimensi inter Rhenum & Vogesum. Transimus nunc in Brettanam, inter Rhenum & Nicrum, ubi Eppinga, oppidulum haud ignobile, tabulas quasdam veteres suppeditavit memoratu lectuque dignas. Locus a marchionatu Badensi, cui a Friderico II imp. oppigneratus fuerat, (c) ad Palatinatum Rheni fec. XIV primum accessit.

Num. XIV.

Jura & privilegia Heilbronnensis civitatis contulit ei Spiræ Albertus I, rex Rom. mense Aug. an. 1303, & quidem ad preces nobilis matronæ, Ottonis de Ochsenstein, avunculi olim sui, fororis. Tacet Albertus feminæ hujus nomen, quam Adelheidem de Ochsenstein fuisse crederes, Rudolpho II marchioni Badensi nuptam. (d) At ex systemate Ochsensteinensium dynastiarum genealogico Adelheidis hæc filia avunculi, non foror, adeo-

(b) Pag. 10.

(c) *Schoepflii hist. Zaringo-Bad.* tom. V, n. 192.(d) *Ibid.* tom. II, p. 19.

MDCCLXVII.

adeoque Alberti regis consobrina fuit; unde, si verbis inhærendum diplomatis, non Adelheidem ipsam, sed amitam ejus, nomine suo nobis ignotam, privilegium hoc regium pro Eppingensibus impetrasse colligimus, idque propter affinitatem suam cum Badensibus, sine qua, cur Ochsensteinensis femina Eppingensibus tantum faverit, ratio reddi vix ulla potest.

Albertum tamen non primum libertatis Eppingensium fuisse auctorem, sed præivisse ei exemplo suo Rudolphum, patrem ipsius, Rom. regem, ex Ludovici imp. literis discimus, octava die post festum epiphaniæ an. 1331 Monachii datis, quibus Rudolphi senioris, tertii hujus nominis Badensium marchionis, causa libertatem istam confirmat. Confirmavit porro Carolus IV imp. Rutlingæ die mercurii post nativitatem b. Mariæ an. 1360. Num. XV.

Rudolpho III marchioni, IV nonas Febr. an. 1332 sine liberis extincto, (e) ipsius ex Hessone fratre nepos, Rudolphus Hesso, successit in Eppingen, quam civitatem die dominica post octavam purificationis Mariæ de retinendo pristino suo circa tributa, domino præstanda, jure securam esse jussit, invocato simul & accedente Friderici, Rudolphi de Pfortzheim & Hermannii marchionum proxime agnatorum consensu. Idem postea fecere Fridericus & Rudolphus dictus Wecker, Rudolphi Pforzhemiani filii, die S. Matthæi apost. 1349, appenso simul Hermannii, marchionis patruelis, domini veteris Eberstein sigillo. Num. XVI.

Eppingen in electorum Palat. manus brevi post pervenisse, ex charta Ruperti senioris die lunæ post festum circumcisionis Domini 1373 Heidelbergæ data, colligimus, qua civitati huic de ipsa aliis non oppigneranda cavit. N. XVII.

Rediisse tamen ad Badenses necesse est, quoniam Bernhardum marchionem oppidum hoc fortuna belli, adversus Rupertum

(e) Ibidem pag. 33.

MDCCLXVII.

pertum Palatinum regem Rom. tentata, (f) amisisse legimus. Superfunt literæ, die b. Udalrici an. 1404 Durlaci ad Eppingenses datæ, quibus pacis cum Palatino initæ legibus contineri scribit, ut in Ludovici ducis, Ruperti cæs. filii, potestatem perveniant jure pignoris, decem millibus aureorum aliquando redimendi. Sed redimendi libertas Badensibus adempta est sub Carolo marchione, Bernhardi nepote, qui ob Fridericum victoriosum a. 1462 ad proelium Seckenheimense provocatum poenas dedit longe graviore (g).

Templum civitatis parochiale ornamentum ejus præcipuum. Quando constructum sit, saxo inscriptum est ad portam majorem :

ANNO DNI. M. CCCC. XXXV. LAPIS FUNDAMENTALIS PRIMUS HUIUS OPERIS POSITUS ERAT IN PROFESTO SANCTI VITI.

Opus sumtuosum quinquaginta fere annorum spatio absolutum est, uti Innocentii VIII bulla pridie idus Aug. an. 1486 Romæ data comprobatur, in qua hæc verba: „ Cum, sicut accepimus, in oppido *Eppinghen* Spir. dioec. quod satis populosum existit, sit unica parochialis ecclesia pro tanto populo factis structa sub invocatione b. virg. Mariæ, quam dilectus filius Johannes Jochgrim ipsius ecclesiæ rector, acolitus ac familiaris noster. obtinet, & que non parva indiget reparatione ac ecclesiasticorum ornamentorum munitione, ad quas faciendas ipsius ecclesiæ non suppetant facultates, sed Christi fidelium suffragia sint plurimum oportuna, nos qui dudum, ut dicta ecclesia ab eisdem Christi fidelibus congruis honoribus „ frequen-

(f) *Causas hujus belli vid. in lib. cit. pag. 84 sqq.*

(g) *Kremeri Geschichte des Kurf. Fridrichs des ersten von der Pfalz, Lib. IV. §. XI.*

„ frequentaretur ac in suis structuris & aliis ornamentis eccle-
 „ sasticis conservaretur, ac fideles ipsi eo libentius devotionis
 „ causa ad eandem ecclesiam confluerent septem annos
 „ & totidem quadragenas de injunctis eis penitentiis relaxavi-
 „ mus, prout in nostris inde confectis litteris, quas ad vitam
 „ prefati Johannis duntaxat durare volumus, continetur; cu-
 „ pientes ut ecclesia hujusmodi condecenter ampliatur & eccle-
 „ sasticis ornamentis muniatur, fidelesque ipsi ad eandem ec-
 „ clesiam visitandam & ad hujusmodi ampliationem & muni-
 „ tionem manus adjutrices porrigendas eo promptiores red-
 „ dantur ultra predictos septem annos & totidem
 „ quadragenas alios similes septem annos & totidem quadrage-
 „ nas de injunctis eis penitentiis misericorditer in Domino rela-
 „ xamus &c.

Literas has pontificias quadriennio post Fridericus de Nip-
 penburg, episcopi Spir. vicarius in spiritualibus principalis, ro-
 gante eodem Jo. Jochgrimo, auctoritate ordinaria sibi commissa
 munivit, additis insuper de suo diebus indulgentiarum quadra-
 ginta.

Id vero memorabile & municipio honorificum maxime,
 quod subditos habeat tum proprios tum feudales, & ordinis
 S. Wilhelmi monasterium cum bonis suis integrum possideat;
 Infra montem & arcem Ravenspurg, Eppingam versus, vicus
 est duplex superior atque inferior, *Muhlbach* dictus, cujus ca-
 pellam, matrici Eppingensium ecclesiae subditam, cum bonis
 suis Henricus de Brettach, miles, religiosus vallis b. Mariae
 prope Hagenoviam fratribus ord. S. Wilhelmi dono dedit, ut
 monasterium ibi familiae suae instituerent. Quomodo quibusque
 episcopi ordinarii legibus id factum sit, ex instrumento an. 1290
 uberius patebit. Henricus ille de Brettach, fundator loci, de-
 cessit mense Aprili 1295, ut ex lapide ad murum ecclesiae Muhl-
 bac. erecto constat. Dein prior monasterii Swickerus cum con-
 ventu suo utrumque vicum Mulenbach Gerharo de Osfwilre ven-

N. XVIII.

Tom. II.

G

di-

MDCCLXVII.

N. XIX. didit pro centum & quadraginta libris Hall an. 1317, teste charta vernacule scripta, quæ infra comparet.

Ab Osvillana gente Mulbacum per Sickingenfem & Ravenspergenfem ad Eppingam eodem seculo transiit. Die Ven. post assumpt. b. Mariæ 1364 Rudolphus VI marchio Bad. consensu suo factum esse testatus est, ut cives Epping. vicum Mulnbach coemerint, manente Oetingæ comitibus, quod habebant, dominio ejus directo. Emtionem tamen nondum consummatam fuisse, id nobis indicio est, quod die Sat. post S. Mich. ejusdem anni Ludovicum seniore, Oetingæ comitem, Ludovico Hofwarto de Siggingen Mulbacum inferius in feudum contulisse, annoque sequenti demum mense Jan. Eppingenses id ære suo acquisivisse novimus.

N. XXI. Sed & Goleri de Ravensberg, Albertus atque Bertoldus, proprietatem quisque suam in vico Mulnbach septennio post vendiderunt; nec non Conradus de Sachsenheim miles cum uxore sua, Elisabetha de Ravensberg, filiisque ejus, privignis suis, Heinrico & Conrado de Ehrenberg, datis tribus quatuorve fidejussoribus. Ita Eppingenses utroque Mulbaco potiti sunt, vario jure. Vicus inferior adhuc feudum est Oetingense, cujus investituræ recipiendæ causa, quotiescunque opus est, consul civitatis Oetingam mittitur & scriba. Ad vicum, Eppingæ subditum, accessit denique monasterium ipsum, in cujus gratiam duodecim cardinales, presbyteri novem & diaconi tres, „ cipientes, ut ecclesia domus S. Wilhelmi in *Mulnbach* Spir. „ dioec. congruis frequentetur honoribus & a Christi fidelibus „ jugiter veneretur, ac in suis structuris & ædificiis debite reparetur, conservetur & manuteneatur, nec non libris, calicibus, luminaribus, ornamentis ecclesiasticis & aliis rebus „ divino cultui inibi necessariis decenter muniatur omnibus & singulis Christi fidelibus utriusque sexus vere penitentibus & confessis, qui dictam ecclesiam in singulis, videlicet „ dedicationis dictæ ecclesiæ, S. Annæ, S. Sebastiani, S. Wilhelmi,

„ helmi, annuntiationis b. & gloriosæ semperque virg. Mariæ
 „ festivitibus & diebus . . visitaverint annuatim & ad præ-
 „ missa manus porrexerint adjutrices, pro singulis festivitibus
 „ & diebus prædictis, quibus id fecerint, centum dies de in-
 „ junctis eis penitentiis „ a. 1521 die tertia Maji condonave-
 runt. Hoc tamen non impedivit, quin monasteriolum magis
 magisque decreveret, invalescentibus præsertim religionis diffi-
 diis, propter quæ conventus ejusdem ordinis Hagenoensis, cui
 obnoxium erat, cum bonis & juribus suis universis civitati Ep-
 pingensi, teste instrumento, quod infra proferimus, an. 1546
 id vendidit.

N. XXII.

Wimpinæ antiquum hospitale est S. Spiritus, cui Wilhel-
 mus advocatus de Wimpina bona sua apud *Hyphelbur* sita an.
 1250 donavit. Surrexit hinc in præceptoriam ordinis a S. Spi-
 ritu dicti, suosque magistros habuit peculiare, in quibus Pe-
 trus Nyderhoffen a. 1489 defunctus, Johannes Schnerli, Wim-
 pinensis, an. 1565 sepultus, & Nicolaus Ritter, Wimpina quo-
 que ortus, qui d. 29 Maj. 1606 obiit, comparent. Horum la-
 pides sepulcrales in templo hospitalis supersunt. Quem ultimo
 loco nominavimus, *ord. S. Spiritus magister in Steffansfeldt,*
Wimpfen & Ruffach in lapide suo scribitur, adeoque duas præ-
 ceptorias Alsaticas cum Wimpinenfi conjunxerat.

Wimpina

Civitatis chartularium, quod perlustrari datum fuit, cum
 editum jam sit in lucem, (h) Rupertum tantum Palatinum,
 regem. Rom. jus percutiendæ monetæ minoris, Halensis dictæ,
 renovasse Heidelbergæ d. 26 Jun. 1404, & Philippum electorem
 tutelam decennalem die S. Mich. 1478 eidem civitati addi-
 xisse annotamus, postquam avus Philippi, Ludovicus Bar-
 batus, & hujus frater natus minimus, Otto Mosbacensis,

G 2

quin-

(h) In *Pistorii amoenitat.* tom. III, & *Moseri Statt-Handbuch.*

MDCCLXVII.

quinquennale amicitiae foedus an. 1432 cum ea jam pepigissent.

Heilbron Sed & cum Heilbronna civitate idem Ludovicus elector & filius ejus natu major, Rupertus, die lunæ post dom. Lætare 1422 foedus inierunt Stuttgardiae, quod a successoribus renovatum & continuatum est usque ad an. 1610, quo ipso illa unionis Evangelicae causa plurimum flagrabat. Servantur in curia Heilbr. ejusdem unionis acta decennalia octo spissis voluminibus comprehensa & scribæ civitatis publici, Antonii Alberti, manu scripta.

Diximus supra (i) de ara Taranucni prope Heilbronnæ an. 1766 inventa. Addimus hic aram Apollinis, eodem loco & tempore protractam in lucem cum hac epigraphæ:

A P O L L I N I
 P Y T H I O S A C R
 N A S E L L I V S
 P R O C L I A N V S
 7. LEG. VIII. AVG.
 T O R Q V A T O
 E T I V L I A N O C O S.
 V. S. L. L. M.

Laudata a nobis alibi (k) ara Heilbronnensis ab eodem homine & eodem consulatu Fortunæ respicienti posita. Hanc nostram
 fram

(i) Pag. 11.

(k) *Act. acad.* vol. 1, p. 199.

stram quidem epigraphen in novis literariis Halensibus publicatam esse novimus, sed omissa, ut fieri frequentissime solet, centuriae vel centurionis nota, quae praemissa legioni; id quod in altera quoque peccatum a Schelhornio fuit.

Winspergæ, notissimo ducatus Wirtenbergici castro & oppido, descripta quaedam sunt veterum ejus dynastarum elogia sepulcralia, quae Kremerus noster, itineris focius, cum reliqua nobilissimæ gentis historia publicæ infra expositurus est luci. Winsperga

Neque Oeringensia monumenta antiqua, quae amicissimus nobis Hanselmannus singulari in hoc doctrinæ genus studio eruit atque collegit, nos jam morantur, a quo libro peculiari idem venerandus fenex ea omnia scite vulgavit. (1) Oeringa

Boxberga, castrum & oppidulum, Franconicis & Moguntinis agris circumdatum, caput veteris dynastiæ, quae in praefecturam archipalatinam pridem conversa est. Prima nominis memoria a. 1239 occurrit, quo Conradus de Crutheim, vir nobilis, castrum & villas *Crutheim*, nec non castrum BOCKESBERG & quidquid habuit ibidem, *Wanshoven* . . curiam in *Wollechingen* . . *Sweigern* . . advocatiam in *Buoch* &c. Gothfrido comiti de Hoenloh pro mille marcis argenti vendidit. (m) Boxberg

Sexennio post *Krafft* de *Bokysberc* eidem Gothfrido sororis suæ Richzæ marito, homines suos & bona, castrum nempe *Bokysberc* & *Wanshoven* sub castro, *Wollichingen*, *Uffingen*, *Grevinwinden*, *Schillingstatt* . . . item *Sweigern*, *Suabehusen*, *Epilingen* cum omnibus rusticis in villis his & ad officium (amt)

G 3

Bokys-

(1) *Beweis wie weit der Römer Macht in die Ost-Fränckische, sonderlich Hohenlohische Lande eingedrungen*, 1768 fol.

(m) *Hanselmann von der Hohenlohischen Landeshoheit* p. 404.

Bokysberg spectantibus, si absque liberis se decessisse contigerit, testamento legavit (n). Wanshovium sub castro hic commemoratum ipsum oppidulum esse videtur, quod amisso veteri nomine, *Boxberg* a castro appellari contigerit.

Postea Cunradus de Crutheim cum uxore sua Cunigunda, consentientibus viris nobilibus, consanguinitate & affinitate proximis, Ottone de Eberstein, qui fuit Cunigundæ frater, *Crafthone fratre de Bochesberc*, Gothefrido de Hohenloch, qui Conradi Cruthemii & Craffthonis Boxbergici sororem duxerat, filioque ejus Alberto, bona sua propria in Westernhusen aliisque locis monasterio vallis gratiæ an. 1252 donavit; (o) unde Cunradum atque Crafftonem fratres fuisse intelligimus. Sed & eodem anno Gotfridus de Hohinloch utrumque, Cunradum de Crutheim & *Krafftonem de Bochesberc*, sororios suos vocat in literis apud Langenberg datis, quibus donationem quandam monasterio vallis gratiæ factam confirmavit. (p). Nomina gentilitia, oriri haud ita pridem coepta, secundum castra & sedes, quas singuli vel nobiles vel ingenui habebant, variarunt. Divisa inter fratres duos hereditate, natu major Cruthemium, minor Boxbergam fortitus est; duarum ejusdem gentis familiarum nominibus suis distinctarum origo.

Post Crafftonem & liberos ejus, ad quos Adelheidem de Boxberg, Ulrico de Durna, ecclesiæ Amorbacensis advocato, an. 1263 nuptam, (q) & Heinricum de *Boxsperg*, ordinis Johannitarum per Alemanniam magistrum, referimus, (r) altum de

(n) Ibid. pag. 405 sq.

(o) Ibid. p. 409.

(p) Ibid. p. 410.

(q) *Groppii hist. monast. Amorbac.* p. 195 sq.

(r) *Hanselm.* l. c. p. 493.

de Boxbergicis his dynastis silentium; imo & Cruthemia cum Conrado, auctore suo, interiisse videtur. Conradus sane de Crutheim, Kraftonis Boxbergici frater, viduaque ejus Kune-gundis de Eberstein, in monasterio suo Gnadenthal an. 1300 de-cesserunt improles, (s) postquam de anniversariis suis eodem, quo Richardi regis, modo celebrandis apud moniales sibi pro-pxissent. (t) Ceterum in ordine dynastarum, comitibus pa-rium, Boxbergenses atque Cruthemios hos collocandos esse, vel ex solo *nobilis*, quod gesserunt, elogio apparet.

Quomodo Boxberga ad equestrem Rosenbergorum familiam descendit, nondum habemus compertum. Eberhardo & Conrado fratribus de Rosenberg Ludovicus IV rex Rom. homines imperii ad iudicium provinciale Puchheim & Burckheim pertinen-tes pro centum libris Hal. oppigneravit. Datæ literæ in ob- sione castri Furstenberg die merc. hebdomadis nativitatæ Christi an. 1321.

At juris Palatini in Boxbergam originem novimus repeten- dam esse ab an. 1381, quo Eberhardus miles & Arnoldus ar- miger, fratres, nec non Conradus miles, vicedominus Heidel- bergensis, & Eberhardus senior, Rosenbergi omnes, quartam quisque suam castri & oppidi Boxberg, bonorumque ab eo pen- dentium, partem Ruperto seniori, electori Palatino, pacis & securitatæ causa in feudum masculinum tribus instrumentis ob- tulerunt, Heidelbergæ datis, quorum unum infra producimus. Eidem Ruperto electori septennio post, feria sexta ante S. Joh. Bapt. Adel de Tottenheim senior castrum suum *Schupse*, Box- bergæ proximum, quod ab Hohenloicis, una cum vico Uffingen, acquisiverat, (u) aperuit.

N. XXIII.

Rosen-

(s) Vide chartam ibid. p. 428.

(t) Ibid. p. 422.

(u) *Hanselmann Beweis der Hoheulohischen Landeshoheit* p. 472.

MDCCLXVII.

Rosenbergii deinceps, utriusque castri possessores, ad rapinas more seculi proclives; vicinos cunctos, & ipsos Palatinos, tot lacefferunt injuriis, ut cum Friderico I Palatino Adolphus Moguntinus elector & Rudolphus episcopus Herbipolitanus de ipsis oppugnandis a. 1470 inter se convenerint. Expugnatæ igitur Boxberga & Scipha conjunctis trium principum armis, & Rosenbergii tres, Georgius, Arnoldus, Michael, in exilium acti. (x) Neque cum Friderico & Adolpho electoribus in gratiam illi unquam redierunt, imo Fridericus Boxbergam & Scipham inter loca bello parta & penes electoratum Palatinum mansura an. 1472 retulit (y). At victoriosi hujus principis successor, Philippus Ingenuus, cum Diethero Moguntino & Rudolpho Herbipolitanq, Alberti, Brandenburgici electoris, & Philippi, episcopi Bambergensis, sive precibus sive auctoritate indu-

N. XXIV. ctus, reddidit sua Rosenbergiis, servato tantum pristino vinculi feudalis jure, nisi quod quarta castri Boxbergæ pars commune trium, qui id ceperant, principum feudum esse juberetur. Hæc Windshemii acta sunt die Merc. post S. Laur. an. 1477. Castri Sciphæ ganerbii tum erant Tottenhemii tres, Wilhelmus miles, Johannes & Georgius, deinde Georgius Zobel de Gibelstat, Guntherus de Brandenstein & Gothofredus de Stockheim, propter uxores suas, Rosenbergiorum sorores. Philippo electori Schillingstadium Georgius de Rosenberg, Michael vicum *Schweigern* & villam *Seehof* an. 1481 pignori dederunt, acceptis pro illo mille florenis, pro his autem duplo.

Cetera Boxbergæ fata ex editis passim monumentis breviter nunc perstringimus. Instauratis cum præfule Herbipolitano an. 1485 diffidiis, propter ablata heredibus Anselmi de Rosenberg, qui

(x) Uberius hæc narrat Kremerus in *Geschichte des Kurfürsten Friedrichs I* pag. 428 sqq.

(y) Ibid. in probat. pag. 456.

qui mortem sibi consciverat, loca quædam ei oppignerata, hisque latæ in curia imperiali sententiæ non acquiescentibus, Georgius, Arnoldus & Fridericus de Rosenberg, quod partes cognatorum suscepissent, proscripti sunt. (z). Accessit mox lis Arnoldi cum Conrado Tottenhemio de castro Schupf, quæ a Moguntinæ curiæ feudalis judicio ad novam cameram imperii, indeque ad comitia ipsa Friburgum a. 1498 deducta est, magno Arnoldi damno, quippe quem episcopus Herbipolit., censura sua ecclesiastica damnare jussus est. (a) Homines armis a pueritia assuetos ad pacem publicam nuperrime constitutam reducere, molis erat haud exiguæ. Ejusdem mentis fuit Jo. Melchior de Rosenberg, Francisci de Sickingen amicus & socius, qui Boxberga dolo potitus Suevos tuendæ pacis publicæ causa foederatos tantum laceffivit, ut hi castrum summa vi receptum solo æquaverint & ditionem omnem, acceptis quinquies mille florenis, electori Palatino a. 1523 in manus tradiderint. (b) Ægerrime hoc tulit Jo. Thomas de Rosenberg, qui multis frustra tentatis tandem eo iræ processit, ut a. 1535 ad laudatum modo foedus Suevicum literas provocatorias miserit. Hoc immortuo improle, agnatorum proximus, Michael de Rosenberg in scenam prodiit, quem excepit Albertus, Carolo V imp. propter virtutem carus. Cæsar Palatino septemviro propter foedus Schmalcaldium infensus, Boxbergam Alberto huic Rosenbergenfi a. 1547 reddi curavit. Legitur adhuc in muro exteriori arcis versus oppidulum:

Tom. II.

H

D. SZ

(z) Defensio Rosenberg. extat in *Senckenberg Sammlung rar. Schriften* P. I, p. 67 sq.

(a) *Harprecht Staats-Archiv des Reichs-Kammer Gerichts* tom. II, p. 238 & 354.

(b) Charta traditionis in *Burgermeisteri cod. diplom. equestri* tom. II, pag. 1261.

MCCCLXVII.

DISZ. SCHLOSZ. HAT. A. V. R. WIDER ANGEFANGEN ZU
BAWEN NOCH DER GEBURT CHRISTI M. CCCCC. XLVII. JOR.

ALBRECHT VON ROSENBERCK ZU BOXBERCK.

Carolus Palatino hac de re graviter conquerenti, omnia se infcio perpetrata esse respondit. Lis duravit usque ad an. 1561, quo Jo. Fridericus, dux Saxoniz, Friderici III electoris Palat. gener, hunc focerum suum induxit, ut Alberto Rosenbergio numeratis viginti & septem millibus florenorum satisfaceret, eique præterea dimidium vicum Schillingstatt cum vicis Eplingen & Deimbach in feudum conferret. Signata transactio d. 24 Jul. & Boxberga cum omni dynastia d. 25 Aug. Palatinis redita est.

Proximus Boxbergæ vicus est *Woelchingen*, oppidulo Boxbergenfi, cum quo unam eandemque civitatem constituit, major, temploque pulcherrimo instructus, cujus conditores traditio popularis templarios facit. Sunt ibi lapides sepulcrales Rosenbergiorum tres cum his inscriptionibus:

I.

ANNO DNI MCCCLXXXVII. JAR AN DEM NESTEN SUNTAG
NACH VITY STARB HER EBERHART VON ROSENBERG.

II.

ANNO DNI MCCCXLVII. JAR AM NESTEN DUNERSTAG VOR
SANT MATEUS TAG DES ZWELFBOTEN STARB ARNOLT VON
ROSENBERG &C.

III.

ANNO DNI M. CCCCLIX JAR AM SANCT WALPURGEN TAG
STARB EBERHART VON ROSENBERG &C.

Epita-

Epitaphia alia hujus gentis, cum dynastis, si opes ejus vel possessiones spectes, comparandæ, in ecclesia parochiali Rosenbergica extant, e quibus verba hic apponimus sequentia: Rosenberg

ANNO DNI MCCCCLXXXIX UFF MONTAG NACH SANT GEORGEN STARB DER ERBER UND VEST CONRAD VON ROSENBERG &c.

ANNO 1515 AUFF UNSERS HERRN LEICHNAMS ABEND STARB DIE ... FRAW ELCHA VON ROSENBERG GEBORN VON RIDERN DES EDLEN UND ERVESTEN CONRADTS VON ROSENBERG HAUSFRAW GEWESEN &c.

ANNO DNI 1552 JOR AUF DEN 19 DAG OCTOBERS STARB DER EDEL UND ERVEST LORENZ VON ROSENBERG DEREN BEIDER SON GEWESEN &c.

Hæc in uno lapide. Nunc epigraphe ex alio:

ANNO DNI 1576 DEN 4 FEBR. VERSCHID DER EDEL UND ERNVEST HANNS CARGUS VON ROSENBERCK ZU ROSENBERCK &c.

Supra portam templi versibus Germanicis legitur, id ampliassse Albertum Christophorum de Rosenberg an. 1610, qui ipse an. 1632 extinctus gentis suæ postremus fuit.

Mosbacum, caput præfecturæ, principatus olim, prope Nicrum, qui præfecturam perluit, subdivisam in quæsturas quinque, Eberbacensem, Lorbacensem, Hilsbacensem, Elzanam & Zwingenbergicam, imperiale fuisse oppidum, electoribus Palatinis oppigneratum, nemo ignorat. Quando sit oppigneratum si quæras, an. 1232, respondet Tolnerus, (c) secundam quem Mosbach.

H 2

Ludo-

(c) *Hist. Palat.* cap. 2, pag. 36.

MDCCLXVII.

Ludovicus Severus postea præfecturam hanc an. 1259 Palatina-
tui Rhenano plenarie inseruit. Testem asserti sui Tolnerus ad-
ducit Sebast. Munsterum, minime idoneum, cui profecto refragantur,
quotquot supersunt, literæ antiquæ. In his duo sunt
N. XXV. an. 1330 data, quorum altero Mosbacum Rudolpho & Ruper-
to, comitibus Palat. Rheni, Bavarizæque ducibus, suis ex fra-
tre nepotibus, se oppignerasse scribit, falvis ceteris civitatis hu-
N. XXVI. jus juribus; altero, quod septennio post Francofurti renovatum,
a Palatinis principibus oppidum istud amplius oppignerari vetat.
Prius ratum habuerunt Rudolphus atque Rupertus, accepto ci-
vium sacramento, posterus Rudolphus solus data charta Wisloci
die Merc. post palmarum. Tum demum itaque Mosbacenses pa-
rere Palatinis electoribus coeperunt. Gemundam, Eberbacum,
Sinshemium, Trifelsam, Anvillam, Germershemium &c. simul
oppignerata fuisse, ex alio Ludovici imp. diplomate, die lunæ
post S. Agnetis 1330 Tridenti scripto, (d) novimus.

Oppido ampliando Rupertus I an. 1363 a Carolo IV imp.
impetravit, ut *Haspach & Buttersheim*, proximi vici, in illud
transferrentur; idemque elector tres imperii vicos *Schefflenz*,
cum *Burckheim*, *Elz & Dudesheim* Winspergensibus dynastis op-
pigneratos, & quotquot alii centenario Mosbaci atque Richarts-
hufæ iudicio suberant, ex aliorum manibus redimendi licentiam
consecutus est Noribergæ an. 1378. Hoc patris sui privilegium
Wenceslaus rex anno sequenti ratum habuit Heidelbergæ.

Testamento Rupertino an. 1410 Mosbacum ad filiorum natu-
minimum pervenit Ottonem, cui hinc *Mosbacensis* cognomen-
tum. Is triennio post castrum *Lorbach* cum vicis villisque ei
adscriptis sibi comparavit a Friderico pincerna de Limpurg &
uxore ejus, Elisabetha Hohenloica, magno ære, cujus pars
nume-

(d) *Joannis misc. hist. Palat.* pag. 75.

numerata est Johanni de Hirschhorn, locorum istorum a XII annis pigneratori. Præterea Wirtenbergico comiti, Eberhardo; factis factum est atque Würzburgensi episcopo, quorum ille castrum Lorbach Limpurgenfi familiæ in feudum dederat, hic decimas. Mosbacum ipsum Herbipolitana dioecesis hodieque comprehendit. Otto, motus civiles inter senatum atque judicium pressurus, consilio suorum, Stephani de Emershoven, aulæ præfeti, Heinrici de Berwangen, Dieterici & Cunonis Rûden, Gerungi de Bodigheim &c. senatum aboluit, consulemque unum ex XII judicibus, alterum ex populo quotannis eligi jussit die ven. post S. Cath. 1435.

Vivo patre Otto junior feria quarta post festum assumptionis b. Mariæ 1450 civitatem Mosbac. datis literis de juribus & privilegiis suis securam esse jussit. Hujus mater, Johanna Boica, Mosbaci sepulta est in choro ecclesiæ collegiatæ S. Julianæ, ubi servatur adhuc monumentum æneum, imaginem ejus & insignia exhibens cum epigraphe:

ALS MAN ZALT NACH CRIST GEBURT MCCCCXLIV JAR OFF DEN MONDAG NACH DER HEILIGEN ZWOLF BOTTEN SCHIEDUNG STARBE DIE HOCHGEBORNE FÜRSTYNNE FFRAUWE JOHANNA GEBORNE VON DEM VATTER VON BEYERN UND VON DER MUTER VON OSTEERYCH DES HOCHGEBORNEN FURSTEN HERN OTTEN PFALZGRAUEN BY REINE UND HERZOGEN IN BEYERN EELICHE HUSFRAUWE HIE BEGRABEN DER SELE DER ALMECHTIG GOT GNADE.

In angulis lapidis insignia apparent Austriaca atque Palatina.

Cum Ottone II Philippus elector an. 1490 convenit, ut Mosbacensis hic principatus, quando ille decefferit, ad electoratum rediret; quam in rem civitas Mosbac. die SS. Symonis & Judæ Philippo huic, filioque ejus, jubente & præfente Ottone, homagium præstitit.

MDCCLXVII.

Ceterum inter dona præstantiora, quæ Mosbacenses ab imperatoribus Germaniæ olim acceperunt, numeranda maxime silva *Michelnhart*, prope Lorbacum, de qua, ut & de marca vici *Wizzelsbach* (Weisbach) cum Twingebergæ nobilibus an. 1326 jam litem habuerunt, Conradi Rûde militis arbitrio decidam. Ludovicus Bav. die lunæ ante ascension. Domini 1336 Wimpinæ hærens, liberam civitati potestatem concessit mulctandi pro lubitu quoscunque invita se silvæ huic damnum intulisse compererit. Sed & armorum jus ei permisit idem cæsar fenescens contra hostes suos quoscunque, indicti tum per Germaniam justitii testis luculentus.

Jus vectigalis, quo civitas fruitur, partim a monialibus in Bullenkeim an. 1376, partim ab Elifabeta de Venningen abbatisa Lobensfeldensi, an. 1397 coemtum.

Decimas agri sui minores a decano & capitulo S. Julianæ in Mosbach an. 1525, biennioque post ab ejusdem ecclesiæ præposito, Hieronymo Lamperto de Greiffenstein, canonico Constant. civitas redemit, accedente consensu Hieronymi de Helmstatt, qui Mosbacensibus Ludovici V electoris nomine tum præfuit.

Sunt in præfectura Mosbacensi loca, quorum nomina a duobus seculis loquendi scribendique usu haud parum immutata sunt. *Ellenz* nunc Necker-Elz, *Dudesheim* nunc Diedesheim, *Mortelstatt* nunc Mörstelstein, *Larbach* nunc Lohrbach, *Roborn* nunc Robbern, *Rudersbâch* nunc Ritterspach, *Dalla & Dalheim* nunc Dallau vocant.

Necker-
Gemund. Gemunda, oppidum ad Nicri & Ellenzæ confluentes, bihorio supra Heidelbergam, mediis in montibus situm, eodem modo & anno, quo Mosbacum, ad Palatinatum pervenit. Superfunt in vicinia nomen & vestigia arcis *Reichenstein*, quam Conradus & Engelhardus de Weinsperg ab Henrico VII imp. mensè Apr. a. 1312 una cum Gemunda pignori acceperunt.
Conrado

Conrado huic decennio ante Albertus rex custodiam ferarum
& venationum ab oppido Necker-Gemund usque ad Lauffen
tradiderunt. (e) In transactione Ticinensi an. 1329 Reichen-
steinium castrum inter Palatina comparet.

(e) *Gudeni cod. dipl.* tom. 3, pag. 9.



DOCU-

MCCCLXVII.

DOCUMENTA

Num. I.

*Litterae Rudolphi Rom. regis de libertate Hornbacensium in Godram-
steyn* AN. MCCLXXXVII.

Rudolfus Dei gracia Romanorum rex semper Augustus. Univerfis sacri Romani Imperii fidelibus presentes literas inspecturis gratiam suam & omne bonum. Ad universitatis vestre noticiam volumus pervenire, quod licet oppidum nostrum in *Godramsteyn* & in eodem habitantes ad instar aliorum oppidorum Imperii & incolarum eorundem duxerimus ex potestate & auctoritate regia liberandos, nos tamen indemnitatibus honorabilium & religiosorum virorum, abbatis & conventus monasterii de *Hornbach*, ob salutem anime nostre, salubriter cavere volentes, omnia jura que ipsi abbas & conventus in dicto oppido *Godramsteyn* ante ejus libertacionem habuerunt & quibus hactenus sunt gavisi, eisdem abbati & conventui nostra serenitas recognoscit. Nec volumus, quod libertacio predicti oppidi in prefatorum abbatis & conventus jurium dispendium cedere debeat quoquo modo, hoc tamen adjecto, quod ipsi abbas & conventus juribus suis, que vulgariter *vaelle* & *buteyl* dicuntur, quo ad personas illas, que in libertate ipsius oppidi resident, renunciaverunt simpliciter & prescise. In cujus rei testimonium has literas nostro sigillo mandavimus roborari. Datum *Spire* VI idus Marcii, indictione XV, anno Domini M. CC. LXXXVII. regni vero nostri anno XIII.

Num. II.

Num. II.

Litterae Henrici militis de Bannacker advocati imperii de libertate ejusdem monasterii in Godramsteyn MCCLXXXIX.

Noverint universi presencium inspectores, quod ego Henricus miles dictus de Bannacker advocatus seu procurator incliti regis Romani imperii obtuitu divine pietatis ac pro salute anime mee seu pro gracia ac familiaritate mihi & amicis meis a venerabili domino abbati Hornbacensi & a suo conventu exhibita promitto bona fide ac libera voluntate, quod curiam domini abbatis in *Gotramsteyn* ac alia omnia bona Hornbacensis ecclesie in jurisdictione vel advocatia mea jacencia de cetero non hospitabo nec hospitare permitto, neque de familia domini regis neque de mea nec unquam molestabo, nec eum unquam aliquem molestare permitto fraude vel occasione aliqua in jure suo. Nec aliquod servitium a predicto domino abbate & a suo conventu vel a quibuscumque bonis suis petere desidero vel potero, nisi sit de sua bona voluntate, & predictum claustrum ac omnia bona sua quamdiu vixero & advocatus seu procurator domini regis fuero defendere & tueri in jure suo bona fide fideliter promitto. Insuper si dominum regem decedere contigerit, quod absit, de omnibus municionibus seu castris michi commissis predictum claustrum ac omnia bona sua in adjacencia, quamdiu vixero, in in omni jure suo fideliter defendere promitto. Preterea promitto, quod omnem gratiam, quam dominus rex abbati Hornbacensi in *Gotramsteyn* in bonis suis fecit, de libertate facta ibidem sicut bonas litteras habet testimoniales a domino rege, quod nec ego nec aliqui de subditis meis in jure eorum & in gracia eis a domino rege data de cetero nunquam molestabo nec molestare permitto. Hec omnia predicta sub sigillo domini Walrami comitis Geminipontis & meo sigillo ratificabo & sub testimonio domini Hugonis militis de *Zeyffekem* & domini Merkelonis militis

Tom. II.

I

dicti

MDCCLXVII

dicti Spiser, in quorum presencia hec acta sunt. Actum & datum anno Domini M. CC. LXXXIX in octava Martini episcopi.

N. III.

Aliae literae immunitatis ejusdem advocati An. MCCCIII.

Ego Henricus miles de Bannacger, serenissimi domini regis Romanorum per *Spiregovviam* advocatus generalis, profiteor publice per presentes, quod ex relatione scabinorum sive juratorum curie dicte *Hupphoff* in *Godramsteyn* inveni, advocatos facri Romani imperii super concursu, qui in dicta curia *Godramstein* &c. ter fit in anno, qui vulgariter *Ding* nuncupatur, nichil juris habere in petendo quolibet concursu quinque solidos denariorum Spirensis monete, unde via juris per veridicam relationem scabinorum sive juratorum me docente, dictam curiam attinentem religiosi viri & honesti abbati & conventui Hornbacensi in perpetuum a dicta impetitione quinque solidorum denar. Spirensis monete absolvo. In cujus rei testimonium presentes literas meo sigillo consignavi. Datum anno Domini MCCC tertio feria sexta. . . .

Num. IV.

Literae emptionis vicorum Rietfels, Uberlingen, Dissenbach & Nider-Ingolzan ab Emichone comite Leining. per Sifridum de Venningen, domus ord. Teut. Wissenburgensis praeceptorem
An. MCCCLXXI.

Wir grafe Emiche von *Liningen* vnd frauwe Margareta von *Kyburg* vnser eliche frauwe bekennen vnd veriehen offentlich an diesem brief vnd tun kunt allen den die yn yemer lesent oder horent lesen, daz wir mit gesammenter vnd gemyner
hant

hant wolbedachtes vnd fürfichtiges muts vnd auch mit gutem willen vnd verhencknüße dez edeln Engelhartes von *Winsperg* vnser lieben dohtermans und frauwen Annen vnser dochter finer elichen frauwen verkauffet, vnd zu kauffene gegeben han, reht vnd redelich eyns rehten ewigen kauffes für vns vnser erben vnd allermänglichen den erbern geistlichen luten hern Syfride von *Venningen* Commendur vnd den hern vnd dem Convent gemeynlichen dez dütschen huses zu *Wisenburg* vnd allen iren nachkommen, vnser burg *Rietfels* mit allem irem buwe vnd begriffe vnd waz darzugehört, mit namen diese hie nachgeschriben dörrer vnd güter, *Ryetsfels* daz dorff, *Überlingen* dorff, *Diffenbach* daz dorff, vnd daz dorff zu *Nyderen Ingolzan* hie diffit der bach, und alle die reht die wir hatten yensit der bach vf dem eygen, und daz Autenbruch mit allen iren zugehörenden vogtyen, gerihten, rehten, wasser, weyde, walt, vischentzen, gülten, zins, lut vnd güter, twinge vnd benne, vnd waz wir in der vorgenanten burg *Ryetsfels* vnd in den vorgenanten dörrern, vogtyen, gerihten und bennen gehabt und genossen han, biz uf diesen tag, besucht vnd vnbesucht, kleyn vnd grose, wie sie gelegen vnd wie sie genant sint, und darzu Wernhers Morswiler güter, waz er gehabt hat in den vorgenanten vogtien, gerihten, dörrern vnd bennen, ez sien huser oder hofftett, eckher, wisen, garten, zins vnd gülte, wie die geheysen und wa die gelegen sind, mit nammen zwey malter korn gült, die ym die egenanten dütschen herren gaben zu jerlicher gült, und Claus Heysmanns hufs, daz er zu *Ryetsfels* in der vorburg hat, mit allen den rehten, die er in der egeschriben burg und in den vorgeschriben dörrern vnd vogtyen hat vnd meynt zu habenne, also daz die egeschriben hern, und alle ir nachkommen die egenanten burg vnd güter müget nuzen und niesen yemer ewicklichen nach allem ihrem willen, als ander ihr eygen güter on alle irrung vnd hindernüße vnser, vnser erben vnd aller menigliches für fry, ledig, unbekümmert, eygen

MDCCLXVII.

vnd also daz sie weder lehen noch wydme syn, vnd haben yn die gegeben vmb funfzehen hundert guter vnd gerechter gulden, der wir von yn gänzlichen vnd gar bezalt vnd gewert syn, vnd sie in vnser vnd vnser erben nuz vnd kuntlichen fromen gewant haben, vnd geloben mit guten truwen an eydes statt den obgenannten herren hr. Syfriden von *Venningen* Commendur, den herren vnd dem convent gemeynlichen dez dutschen hufes zu *Wisenburg* vnd allen iren nachkommen für vns vnd alle vnser erben vnd für aller menglich die vorgeschriebn burg *Ryetsels* vnd die egenanten dörfer mit allen iren zugehörungen, vogtyen, gerihten, rehten, luten vnd gütern, besucht vnd vnbesucht, sie sien geschriben oder nit, ewicklichen nach dez landes gewonheynt vnd reht für frey, ledig, vnbesümmert, eygen zu vertigen vnd also daz sie alle noch ir deheynes befunder weder wydme noch lehen syn, als mann femlich guter nach dez landes reht vnd nach eygens reht vertigen solle, on allen iren schaden. Wir verziehen auch für vns vnd alle vnser erben in allen diesen dingen vff alle privilegien, fryheit und gnaden, die wir itzund haben, und hernach gewinnen mochten, von dem stule zu Rome, von kayfern, von künigen, von ertzbischoffen, von bischoffen oder wo die anders her weren, und daz wir nit sprechen oder fürziehen sollen, daz wir in diesem kauffe betrogen sien, oder mit geverden darzu kommen sien, oder daz vns daz gelt umb diesen kauffe nit bezahlt, noch gegeben sie vnd darzu uf alle schirm und hilff geistliches und weltliches gerihtes und rehtes, gesezet gewonheit Landgerihtes der herren und der ritter, damit wir oder yeman anders von vnseren wegen wider diese vorgeschriben ding gar oder eyns theils getun oder schaffen geton möhten mit geriht oder on geriht heymlich oder offenklihen an geverde und sunderlichen aller urfache die vns gehelffen möhten und den vorgeschriben dutschen Herren geschaden. Und zu einem waren vrkunde aller dieser dinge so han wir grafe *Emiche* von *Liningen* und frauwe *Margaretha* von *Kyburg*

burg sin eliche frauwe vorbenant vnsern eigenen ingesiegel vor
 angehencket an diesen brief vns zu überlagene aller vorge-
 schrieben dinge, und wir Engelhard von *Winsperg* und frau-
 we Anne sin eliche frauwe veryehen offentlichen, daz dire vor-
 gescribn kauffe und alle diese ding mit vnserm guten willen und
 verhencknisse geschehen sint, und geloben sie ewicklichen stette
 und veste zu haltene für vns und alle vnser erben, und darwider
 niemer zu tunne mit worten oder mit werckhen noch schaffen
 gethann in deheyn wise. Daz zu vrkunde haben wir beyde vn-
 sere eygenen ingesiegel zu anderen diesen ingesiegeln gehenck-
 het an diesen brief. und ich. Wernher Morswiller vorgebant be-
 kenne und verzieh offentlich für mich und alle min erben, daz
 die vorgeschrieben ding die mich antreffen mit meinem guten
 willen und verhengnuse geschehen sint, und gelob sie mit gü-
 ten truwen an eydes-statt stette und veste zu haltenne, und dar-
 wider nimmer zu tunne noch schaffen getan in dehein wise.
 Dez zu urkunde han ich die erwürdigen die geystlichen rihter
 dez hoffes zu *Spir* geladen, daz sie irs gerihtes insiegel haben
 gehencket an diesen brief, unter dem ich mich verbinde stete
 und veste zu haltenne, waz vor von mir geschriben stet, wan ich
 eygenes ingesiegels mit anhan. Und wir die geystlichen rihter
 des hoffes zu *Spir* verzihen, daz wir durch beede willen Wern-
 hers Morswillers vnser gerihtes ingesiegel zu diesen anderen
 ingesiegeln habn gehangen an diesen brief, und wir grafe Emi-
 che von *Linningen* und frauwe Margarethe sin eliche frauwe,
 Engelhart von *Winsperg*, Anne sin eliche frauwe bitten den
 erwürdigen geystlichen fürsten herrn Eberharten abbet zu
Wysenburg und den erwürdigen herrn hr. Nyclus von *Linnin-*
gen probest zu den Viertürnen, herrn Eberharten Puller, hr.
 Johans Beheymer ritter und Heynrich von *Tan*, daz sie ir
 ingesiegel zu einer ewigen gezücknuse und vns zu besagenne al-
 ler direr vorgeschriebenen dinge henken an diesen brief. Und
 wir Eberhard von Gottes gnaden abbet zu *Wissenburg* und wir

MDCCLXVII.

Niclaus probeft zu den Viertürnen und ich Eberhard Puller und Johans Beheymer ritter und Heynrich von *Tan* bekennen uns, daz wir von beeder wegen allvorgefchrieben ritter die geystlichen hern ir wirde ingefiegel und die vorgeantanten ritter und knechte ir eygen ingefiegel han gehencket an diesen brief zu anderen diesen ingefiegeln, der gegeben ward nach Christs geburt druzehen hundert Jar, darnach in dem eyn und siebenzigsten Jar, uf den nehften Montag nach vnser frauwentag Kerzwihe.

Num. V.

Literae foundationis monasterii Hertensis An. MCIII.

Notum sit omnibus tam futuri, quam præsentis temporis, Christi fidelibus, quomodo quidam ingenuus homo, nomine Herimannus, in quodam suo allodio, *Herthi* nuncupato, pro suæ, fuorumque animæ remedio, monasterium construxit, illudque diversis suis prædiis quam devotissime dotavit. Eadem autem prædia in subnotatis villis sita sunt, videlicet *Herthi*, *Cohart*, *Otmeresheim*, *Bellenheim*, *Karlabach*, *Reitburi*, *Cnodlingen*, dimidia pars thelonei *Hohenstat*, Deo & sanctæ Mariæ, cæterisque sanctis quorum patrocinia in prænominato habentur monasterio, cum utriusque sexus mancipiis, agris, vineis, decimis, molendinis, aquis, pascuis, fylvis, & cum omnibus utilitatibus ad prædictum prædium pertinentibus, in proprium delegavit, ea videlicet ratione, ut fratres Deo ibidem servientes his omnibus ad suam prebendam libere utantur. De familia autem quosdam suos ministeriales in *Herthi* excepit, quos inter suos hæredes divisit, videlicet, Erkenbertum, qui ibidem duas proprias areas, & unum proprium mansum, cum communi & silvæ & pascuorum utilitate, libere possedit; Udalricum quoque, qui de hoc, quod prius in beneficio, nunc autem hæreditario

reditario jure habet, III denarios reddere debet; præterea Marcwardum, Rappodonem, Othardum, Dragebodonem, Erphonem, Anselmum; qui singuli de hoc, quod prius in beneficio, nunc autem hæreditate possident, II nummos persolvent.

Timens autem idem Herimannus, ne forte divinum servitium in prædicto monasterio, si suorum hæredum juri pertineret, destrueretur, ex consilio & petitione domini Heinrici tertii imperatoris, & domini Johannis, Spirensis episcopi, idem monasterium cum prædictis prædiis ad altare S. Mariæ in proprium tradidit, ea videlicet ratione, ut prælatus ejusdem monasterii curam a Spirensi episcopo accipiat, & ipse episcopus locum illum ab omni infestatione defendat, & prædicta prædia ad nullos alios usus nisi ad prebendam fratrum Deo ibidem servientium, & ad utilitatem monasterii pervenire permittat.

Constituit etiam, ut idem monasterium nullum alium advocatum, nisi eum, qui principalis Spirensis ecclesiæ esset advocatus, haberet, & ille nullum sibi exactorem substitueret. Hanc quoque legem familiæ dedit, ut neque hospitorum vexatione, neque petitionum exactione, ullo modo advocato serviat. Dominus vero Johannes episcopus Spirensis tantam ejusdem Herimanni erga Deum devotionem videns, hoc privilegio locum illum honoravit, ut nullus ei decanus, nullus ei præsit corepiscopus, sed prælatus monasterii omnia, quæ ad divinam legem spectant, cum illo presbytero canonicè decernat, qui parochianam ecclesiam, quam idem Herimannus prius construxerat & dotaverat, ab ipso habet.

Huic autem traditioni præsentès interfuerunt ipse dominus Heinricus III imp. & Johannes Spir. episcopus, Albewinus Merseburgensis episcopus, Giselbertus decanus, Gebehardus custos, Henricus advocatus &c. Acta *Spirae* V id. Febr. anno Dom. incar. MCIII. Ind. XI. anno episcopatus Johannis ep. XII.

MDCCLXVII.

Num. VI.

Guntheri episc. Spir. charta Hertensis An. MCKLVIII.

In nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Guntherus, episcopus Spirensis, notum facio omnibus fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quod capellam sancti Ægidii, quam Burchardus canonicus sancti Guidonis, & mater sua, in proprio fundo, in suburbio Spirensi, ædificarunt, ipso Burchardo, matre jam defuncta, petente, tradidi S. Mariæ Herdensis coenobii, cum hospitali & cæteris appenditiis, quod, quia inconvulsam esse volui, episcopali auctoritate sigilli mei impressione roboravi. Testes hujus traditionis Zeizolfus præpositus majoris, Diemarus decanus, & præpositus SS. trinitatis, Winnemarus scholasticus, Henricus præpositus S. Germani, Heberhardus præpositus S. Guidonis, & Albertus prædicti coenobii præpositus, alii-que plures. Actum *Spiræ* anno Dom. incar. MCXLVIII. anno episcopatus Guntheri secundo.

Num. VII.

Hertensis monasterii jura a Friderico I imp. ei concessa & confirmata An. MCLV.

In nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Quia Dei cooperante gratia ad gloriosum imperii culmen conscendimus, ecclesias Dei, earumque ministros, quorum pax & securitas nostra debet auctoritate corroborari, fovere ac defendere dignum duximus, quatenus in pace & tranquillitate constituti, & divino cultui liberius vacare, & pro nostra vita studiosius possint supplicare &c. Herdensem itaque ecclesiam, in honore beatæ Dei genitricis & perpetuæ virg. Mariæ constructam, in qua canonicus ordo, juxta beati Augustini regulam, noscitur institutus, majestatis nostræ tuitione communimus, statuentes ut
nulli

nulli mortalium liceat ipsam ecclesiam perturbare, vel ejus jura infringere, aut imminuere, homines inquietare &c. sed omnia, quæ vel ab illustri quondam viro Heremanno eidem loco oblata sunt, quæcumque etiam in præsentiarum largitione seu concessione regum, episcoporum, vel principum, oblatione fidelium juste & legitime eadem possidet ecclesia, in utriusque sexus mancipiis, agris, vineis, decimis &c. firma & illibata eidem monasterio permaneant. Ad hoc perpendentes ecclesias diversorum advocatorum infestatione opprimi magis quam relevari, imperiali auctoritate constituimus, atque præcipimus: ne idem monasterium ullum alium advocatum, præter eum, qui principalis Spirensis ecclesie advocatus est, habeat, & ille nullum sibi exactorem vel subadvocatum substituatur, aut alicui beneficii jure attribuat, ipseque bis in hyeme, & semel in æstate, & non sæpius, nisi vocatus, illuc placitaturus veniat, & quantum illi, qui de placitatione composuerint, persolvant, non in arbitrio advocati, sed in dispositione illius, qui prælatus est ecclesie, consistat, ipseque duas inde partes, tertiam advocatus accipiat; si vero debitum compositionis prælatus remiserit, advocatus tertiam exigere poterit; advocatus quoque cum ad placitum bis in hyeme venerit, prælatus monasterii porcum annuum, & hamam vini, & malterum panis, & quatuor avenæ ad servitium illi dabit; in æstate etiam tantum de pane & vino, & duas oves, & duo maltera avenæ & ad singula servitia quinque gallinas; quod si quis eum illuc pro sua re vocaverit, ipse ei ibi ministrabit. Familia quoque neque hospitiolum vexatione, neque petitionum exactione ullo modo advocato serviet, sed soli prælato obediet; caveat quoque advocatus, ne in disponendis ecclesie rebus, prout utilitas & temporis oportunitas dictaverit, ullo modo prælato & fratribus gravis, aut contrarius appareat; quin imo promptus cooperatores & bonus defensor, ubicumque res & tempus postulaverit, adsistat, nihilque amplius juris quam quod privilegii hujus series continet, extorqueat.

Tom. II.

K

Præ-

MDCCLXVII.

Præterea novimus, & certissime scimus, præfatum monasterium cum prædiis suis petitione Henrici tertii imperatoris, de cuius sanguine progeniem ducimus, a supradicto Heremannofundatore ejus, ad altare sanctæ Mariæ Spirensis ecclesiæ in proprium traditum fuisse, ea tamen conditione, ut nihil juris, vel census, sive servitii episcopus, aut quilibet alius inde possit exigere vel beneficii jure præscribere, sed omnia usibus fratrum Deo inibi servientium pertineant, & prælatus a fratribus canonicè electus, episcopo hominum non faciat, sed curam tantum ab ipso suscipiat, quod & nos observari volumus.

Insuper quisquis terminos monasterii quacumque occasione intraverit, nisi forte judiciali sententia dampnatus, donec inde exeat, pacem habeat, quisquis etiam sæculum proponit relinquere, & ad meliorem vitam ad idem coenobium confugere, exceptis quorumlibet mancipiis, nemo illum præsumat lædere, aut retrahere; sed si quis hæc infregerit, si ingenuus aut ministerialis fuerit, IV libras auri regiæ persolvat dignitati, ceteri vero decalvatione, seu dura verberatione, seu LX solidorum compositione coerceantur, & hanc legem cum reliquo jure sæpe dicto monasterio corroboramus &c. Hujus rei testes interfuerunt: Guntherus Spirensis episcopus, Engelcalcus abbas Wizenburgensis, Wittikint præpositus S.S. Trinitatis, *Conradus Palatinus comes de Reno*, Emicho comes de *Liningen*, & alii.

Signum domni Friderici Rom. imperatoris augusti. Ego Arnoldus Moguntinæ sedis archiep. recognovi. Data *Trivelis* XV Kal. Januarii anno dom. incar. MCLV. ind. IV, regnante Friderico Rom. imp. excellentissimo. Anno vero regni ejus III. imperii autem I. in Christo feliciter, amen.

Num. VIII.

Num. VIII.

Friderici I imp. confirmatio donationis Hertensi monasterio factae
An. MCLXXV.

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator Augustus, volentes Herdensis ecclesiae, quam speciali gratiae nostrae favore respicimus, indemnitati praecavere, praesenti pagina duximus exprimendum, quod Conradus miles de *Rulicheshaim*, animae suae sollicitus, in ipsius remedium quasdam vineas suas apud *Rulicheshaim* Herdensi ecclesiae donavit &c.

Testes sunt comes Conradus de *Calwe*, comes Rudolphus de *Phullendorff*, Ebmarus de *Leimersheim*, Wezelo de *Bergen*, Henricus Mareschallus de *Germersheim*, Otto de *Rulicheshaim*, & alii plures. Datum anno Dom. MCLXXV feliciter. Actum apud *Rulicheshaim*.

Num. IX.

Henrici VI imp. confirmatio bonorum monasterii Hertensis
An. MCXCV.

Henicus sextus, Dei gratia Rom. imperator &c. rex Siciliae &c. Notum fieri volumus universis imperii nostri fidelibus, quod nos ob spem aeternae retributionis ecclesiam in *Herde* cum universis rebus & personis, cunctisque possessionibus eidem ecclesiae pertinentibus in nostrae majestatis protectionem recepimus & defensionem, sicut sereniss. pater noster, divae memoriae imperator Fridericus, quondam specialiter eandem ecclesiam in sua speciali habuit protectione. Imperiali itaque mandato praecipimus, ut nulla omnino persona in suis possessionibus praefatam ecclesiam, aut ejus res gravare vel molestare praesumat, nominatim autem in *Offenbach* & *Altheim*, quae allodia Conradus de *Riet* eidem ecclesiae contulit. Quod si quis praenominatam

M̄B̄C̄C̄L̄X̄VII.

natam ecclesiam in his, quæ dicta sunt, contra hoc nostrum mandatum gravare aut molestare præsumperit, in vindictam temeritatis centum marcas argenti poena componat. Testes hujus rei sunt, *Cunradus dux Sueuorum*, *Otto Palatinus comes Burgundiae*, *Philippus dux Tusciae*, *Albertus comes de Dacsberc*, *Arnoldus de Horenberc*, *Wezelo de Berge*, *Wernerus de Bollanden*, & alii plures. Datum apud *Lutram*, anno Dom. MCXCV. VII kal. Octobris.

Num. X.

Philippi regis Rom. privilegium monasterio Hertensi datum
An. MCC.

Philippus secundus, Dei gratia Rom. rex semper augustus &c. Cum dilecti domini & parentes nostri F. videlicet pater noster, & H. frater noster, divi Rom. imperatores augusti, ecclesiam in *Herde* dilexerint, & eam semper sub eorum speciali foverint protectione, nos vestigiis eorum inhærentes, ob spem salutis æternæ, ipsam ecclesiam in *Herde* cum universis rebus suis & pertinentiis, sub nostra recepimus tuitione, statuentes sub poena gratiæ nostræ, ut nulli hominum liceat ipsam ecclesiam in aliquo perturbare, quod qui spiritu contumaciæ inflatus facere præsumperit, in poenam transgressionis, & a gratia nostra alienus, LX libras argenti persolvat. Hujus rei testes sunt, *Cunradus Spirensis episcopus*, *abbas de Selse*. *Conradus de Riet*. *Eberhardus de Nicastel*. *Cunradus de Anwilre*. *Cunradus de Tanne*, & alii plures.

Datum apud *Spigelberc*, per manum *Sifridi* regalis aulæ protonotarii. Anno ab incar. Dom. MCC. ind. III, III kal. Martii.

Num. XI.

Num. XI.

Diploma securitatis Hertensj monasterio datum a Friderico II imp.
AN. MCCXX.

Fridericus Dei gratia Rom. rex &c. & rex Siciliæ. Quia serenitatis interest regiæ, locis ac personis religiosis pacem & tranquillitatem providere, liberali affectu Hertensi ecclesiæ, quæ nullo medio nostram regalem respicit advocatiam, progenitorum nostrorum imperatorum liberalitate & exemplo, securitatem ac pacem curamus procurare. Ne igitur quisquam ulla ductus temeritate præfatam ecclesiam in aliquibus bonis suis, ubicumque locorum sint, sive Wernherus de *Bolanden*, in bonis suis *Dandestat & Rorbach*, aut alias, sive quilibet alius in aliis rebus, seu personis suis inquietare præsumat, districte inhibemus. Ut autem subjectæ paginæ robur constet, eandem nostri sigilli duximus insigniis insignire. Testes Cunradus imperialis aulæ cancellarius idemque Metensis & Spirensis episcopus. Wolframms abbas de *Wizzenburc*, Gerhardus comes de *Ditse*, Eberherdus comes de *Eberstein*, Henricus & frater ejus Albertus de *Niffen*, viri nobiles. Dat. apud *Spigelberg* anno Dom. MCCXX. VI kal. Martii.

Num. XII.

Otonis Ebersteinii & Symonis Geminipontis comitum literæ pro monast. Hertensi AN. MCCLXX.

Nos Otto comes de *Eberstein*, & Symon comes Geminipontis constare volumus, quod nos dilectis vasallis nostris, liberis scilicet Rudolphi & Friderici de *Vleckenstein*, indulgemus, ut castrum *Leimersheim*, villas *Leimersheim*, *Kuhart*, *Winden*, cum sylvis, pratis &c. & juribus suis, quæ a nobis titulo feodi hætenus tenuerunt, ecclesiæ Hertensi & personis ibidem Deo & beatæ virgini famulantibus in proprium vendant, accedente ad

K 3

hoc

MDCCLXVII.

hoc consensu R. D. Henrici Spirensis episcopi, a quo domino nostro dictum castrum & villas cum pertinentiis suis in feodo dinoscimur haftenus tenuisse. Acta sunt hæc apud *Mithelhanc*, præsentibus venerabili dom. Eberhardo Worm. episcopo, & Ruperto comite fratre suo, Alberto decano Spirensi, Hugone de *Spigelberc*, Friderico de *Bolandia*, Petro de *Vlekenstein* & Cunrado de *Beruhusen*, canonicis Spirensibus, Philippo de *Bolandia*, Johanne de Meti, Henrico de *Snidelauch*, & Dietherico de *Rode*, militibus. Dat. anno MCCLXX. id. Aprilis.

Num. XIII,

Alberti regis Rom. literarum de jure pascendi ecclesiae Herdensi concessio
an. MCCCIII.

Albertus Dei gratia Rom. rex &c. viris honorabilibus & religiosis, præposito & conventui monasterii S. Mariae in *Herde*, devotis nostris dilectis, instantibus eorum supplicationibus inclinatis, hanc de regia nostra liberalitate gratiam duximus faciendam, quod in terminis villæ nostræ *Bellenheim*, & in nemore quod *Funkholz* dicitur, animalia sua seu pecora & pecudes pelere possint ac pascere, dantes viro strenuo Henrico Bannaker, vel ei qui pro tempore per *Spirgkogiam* advocatus fuerit, in mandatis, quatenus hujusmodi gratiam fideliter manuteneat. Dat. *Spiræ* anno Dom. MCCCIII. III idus Januarii.

Num. XIV.

Ejusd. regis diploma, quo civitati Eppingen civitatis Heilbronn. jura donavit an. MCCCIII.

Albertus Dei gratia Romanorum rex semper augustus. Prudentibus viris . . . consulibus & universis civibus in *Eppingen* dilectis suis fidelibus gratiam suam & omne bonum. Ad votiyas preces

Ex anto-
grapho.

preces nobilis matrone . . . quondam nobilis viri Ottonis de *Ohlsenstein*, nostri avunculi fororis, devôte nostre dilecte, vos disponentes favore prosequi speciali, concedimus vobis culminis auctoritate regalis libertates, emunitates, jura, consuetudines & gracias, quibus civitas & cives in *Heilprunnen*, fideles nostri, gaudere & perfrui dinoscuntur, volentes ut eisdem libertatibus, emunitatibus, juribus, consuetudinibus & graciis, prout eadem civitas ac cives de *Heilprunnen* hactenus sunt gavisi, in antea gaudere & perfrui pacifice debeatis. In cujus nostre concessionis testimonium hanc litteram exinde conscribi & majestatis nostre sigillo jussimus communiri. Datum *Spire* anno Domini millesimo trecentesimo tercio II idus Augusti, indictione prima, regni vero nostri anno sexto.

Num. XV.

Ludovici IV imp. confirmatio jurium & privilegiorum civitatis Eppingen an. MCCCXXXI.

Wir Ludowig von Gotes genaden Romischer cheiser zu allen ziten merer dez Richs tun chunt allen den die disen brief ansehen oder horent lesen, daz wir durch danchbären vnd nutzlichen dienst den vns vnd dem Rich getan hat, der edelman Rudolf, der elter Margrafe vnd Herre ze *Baden*, vnser lieber oheim, im geben vnd bestätegen alle die friheit vnd recht, die chunig Rudolf vnser elter vatter, vnd darnach chunig Albrecht vnser oheim Romischer chunig finer stat ze *Eppingen* geben haben, vnd darzu allir dir recht vnd gut gewonheit die die vorgebant stat von alter herbracht hat, daz wellen wir von vnser cheiserlichen gewalt, daz die stäte vnd vnverbrochen belibe zu allen ziten. Vnd darvber zu vrchunde geben wir in diesen brief versigelten mit unserm cheiserlichen Insigel. Der geben ist zu *Munchen* an dem zinztag nach dem achtenden tag dez

Ex autogr.

MDCCLXVII.

dez obersten tages, do man zalt von Christes geburt drivzen hundert jar, darnach in dem ein und drizzigstem jar, in dem sibentzehenden jar vnfers richs vnd in dem dritten dez cheifertums.

Num. XVI.

*Rudolphi Hessonis marchionis Badensis confirmatio iurium civitatis
Eppingen an. MCCCXXXII.*

Wir marggraue Rudolf gnant Hesse von Baden tunt kunt allen die disen brief gefehent unde gehorent lesen, daz wir globent bi guten truwen die erbarn unde bescheiden den schultheizzen und die burger gemeinlich zu *Eppingen* zu schirmende, als eine here sine burger vnd sine lute billichen und von recht schirmend sol, unde daz wir die vorgenante burger niemer gedrengen fullent, uber die rechten sture die sie alle jare geben fullent. oder zeichen pfunt heller me, und daz wir in helfen fullent, daz alle die güter, die billig sture geben fullent, daz die sture vnd bette gebent, unde auch daz die, die do min bul feilige lebete, bette vnd sture fri liefze; daz die nu mit den andern burgern sture gebent, als vil als sie angebürt. Wir globent auch beschehe daz wir die vorgenant stat zu *Eppingen* vnd daz darzu gehört, versetzen woltent ader einem herren geben woltent, daz wir sie dane niht anders versetzt ader enweg gebent, danne vur die sture und reht, als wir sie enpfangen hant und daz wir die vorgenant bürger, niht hoher zu burgen verfezen, danne ire sture die sie uns alle jar gebent, gereichen mag. Wer daz wir die vorgeschriben artickele niht stett hieltent, so fullent die vorgenanten burger irs eides den sie uns getane hant ledig sin. Unde der vorgeschriben dinge zu einem waren urkunde. so hant wir unfer infigele gehencket an disen brief. Darzu hant wir gebetten unfer lieben vettern marggrauen Friderich, marggrauen Rudolf von Pfortzheim unde marggrauen Herman von Baden

den, daz sie ire infigele zu dem unfern infigel gehencket hant an disen brief. Wir ouch die vorgeanten marggrauen Fr. marggrau Rud. und marggrau Herman verjehent, daz wir unfer infigele durch bette dez vorgeanten marggrauen Rud. gnant Hessen von Baden und zu einen urkunde der vorgeschribn dinge gehencket hant an disen brief. Der wart gegeben an dem funnentag nach unseren frauwen ahten tag der kertzwihen in dem jar; do man zalt von Gottes geburte druzehen hundert jar und zwei unde driffig jare.

Num. XVII.

Ruperti senioris, elect. Palat. literae de Eppinga amplius non oppugnanda, an. MCCCLXXIII.

Wir Ruprecht der elter. von Gots gnaden Pfalzgrau by Ryn. des heiligen Romschen richs obrister Druchsezz. und Hertzog in Beyern. bekennen offnbar mit difem brif. daz wir unfern lieben getruwen. unfern burgern. in unser stad zu *Eppingen*. mit aller zugehorunge. die zu Eppingen gehorit. von unsern befundern gnaden. dife sunderliche gnad gedan haben. und dun mit craft diz brifs. daz dieselben unser burger zu Eppingen. und daz zu Eppingen gehorit. furbas me fur uns nyt pfantber sollent sin. wo wir fort me. nach data diz brifs. unser brife gebent werden oder schuldig worden. Orkund diz brifs. versigelt mit unserm anhangendem ingesiegel. geben zu *Heidelberg* off den nesten montag nach dem jaris tage. nach Christi geburthe drutzehen hundert jare. und in dem dru und siebentzigstem jare. (a)

Ex auto-
grapho.

L

Num. XVIII.

(a) Appendet scutum ducis Ruperti senioris.

Tom. II.

MDCCLXVII.

Num. XVIII.

*Litterae foundationis monasterii S. Wilhelmi in Mulbach an. MCCXC.*Ex auto-
grapho.

Nos magister Albertus de Lachen canonicus Spir. magister Dyemannus officialis. magister Sygulo prebendarius Spir. magister Marcus scolasticus Sti Germani ad universorum notitiam perducimus, quod religiosi viri fratres Sti Wilhelmi, accedentes ad presentiam reverendi patris ac dni Fr. Spirens. episcopi at ipso licentiam postulabant, ut liceret ipsis se recipere in capella *Mulbach* attinente parochie *Eppingen*, & bonis eidem capelle adherentibus sibi data per Henricum de *Bretdach* militem, qui expeditionem dicti negotii nobis commisit, proviso ne matri ecclesie per dictos fratres prejudicium generetur. Nos igitur habito consilio & consensu honorabilis viri magistri Rulini gerentis vices in hac parte venerabilis domini Petri majoris prepositi Spir. patroni prefate ecclesie in *Eppingen* & consensu archidiaconi dicti loci, videlicet venerabilis dni Si. prepositi Sti Widonis, qui in hac parte magistro Marcio vices suas commisit, dictis fratribus licentiam damus auctoritate nobis commissa se recipiendi in dicto loco, hoc tamen matri ecclesie providendo, quod iidem fratres promittent quod confessiones parochianorum in *Eppingen* non audiant nec aliqua sacramenta ipsis amministrent, sine licentia sacerdotum officiantium parochiam in *Eppingen*. Item si aliquos ad sepulturam receperint de parochia eorum, quartam partem mortuorum, hoc est, oblationum & legatorum eis obvenientium a sepultis, predictis sacerdotibus ministrabunt. Item pro aliis cottidianis sacrificiis que in villula in *Mulbach*, ubi se recipient, eis in missa offerentur a parochianis ejusdem parochie ad estimationem plebanorum capituli in *Eppingen* faciendam, secundum quod plus eadem sacrificia in anno vel annis preteritis valuerunt vel valere potuerunt, pensionem annuam assignabit in bonis certis dictis sacerdotibus ministran-

MCCCLXVII.

nistrandam. Item incolas dicti loci diligenter hortabuntur, ut in summis festis & festo patroni & dedicacionis matricem ecclesiam cum oblationibus visitent, tempore suo ibidem ecclesiastica sacramenta recipiendo, nec diebus eisdem populum abstrahent predicacionibus suis. Item sentencias latas contra incolas loci ab ordinariis & ab aliis iudicibus fervabunt. Item nullum retrahent suo consilio volentem legare aliquid matri ecclesie vel sacerdotibus ibidem, seu volentem ibidem eligere sepulturam. Item quicumque prior aut vicarius ibidem fuerit ordinatus, in principio sue ordinacionis requisitus a sacerdotibus promittet pro se & conventu se predicta omnia fideliter servaturum. Item predicti fratres quoad predictos articulos si aliquis scrupulus dubitationis emerferit super ipsis, subiciunt se, si contravenerint, jurisdictioni ordinariorum Spirensium & eorum sententiis excommunicacionis & interdicti, salvo eis in omnibus aliis privilegio sue exemptionis. Item provincialis & visitator loci predictas promissiones ratificabit consensum plenissimum adhibendo. In cujus rei testimonium sigilla nostra una cum sigillo predicti magistri Rulini presentibus sunt appensa. Nos igitur frater Ny. prior vallis beate Marie prope *Hagenowen* consenciendo & obligando nos ad predicta sigillum nostrum una cum sigillo fratris Eberhardi prioris Vallis Comitum & visitatoris nostri presentibus duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo pridie Kal. Maji.

Num. XIX.

Litterae venditionis duorum viculorum Mullenbach per conventum monasterii ord. S. Wilhelmi an. MCCCXVII.

Wir bruder Swiker Prial, und der Convent gemeinlichen zu *Mullenbach*, St. Wilhelms-orden, dun kunt, und fürjehen ofsenliche in disem brife, daz wir mit fürbedachtem mude, und

Ex auto-
grapho.

L 2

mit

MDCCLXVII.

mit guden willen deme erbern rittere hern Gerharte von *Ofzwilre*, und sinen erben han fürkauft dise zwei dorf *ober Mullenbach* und *nider Mullenbach*, und han in doinne bewiset zehen phunt ewegis geltes, dru punt an hellern, und siben punt an korne; die fautige in deme obersten dorfe, und alle die lude in beiden dorfen, die unfer waren, oder wo wir sie hatden, die geben wir ime vor eigen, und dan die fauteige in deme niederdorfe, die geben wir ime für lehen, ummé die vorgeante gut hat uns derselbe Gerhart geben hundert und firzig punt heller, und hat uns der gewert, und han auch wir sie von ime empfangen, und han sie in unfer nutz getan, und han uf dazselbe gut fürzigen, wir und alle unfer nachkommenden, und daz der vorgeante Gerhart und sine erben an difem gude veste blibe, so han wir ime dise erbern lude zu bürgen gesetzt für werchaft jar und dac, als des landes ein reht ist, hern Eberhart von *Massenbach* den ritter, Cunrad Gemmenger, Rauen Gemmenger die zwen edelknechte, und Heinrich einen burger von *Ephingen*. Me hatden wir die kein ansprache an die keinen man ader frauwe in diesen zwein dorfen, die in anhörten, wir soltens sinem faude clagen, wurd ez uns nit geraht, so solten wir maht han, al unfer wegestes zu suchen mit geistlicheme gerehte. daz diz stede und veste blibe, dez han wir unfer ingesigele an disen brief gehenket, der wart geben, da man zalte von Cristes geburte druzehen hundert jar und sibenzehen jar, an St. Gerdrut dage.

Num. XX.

Ludovici comitis Oeting. literae investiturae vici inferioris Mullenbach an. MCCCLXIV.

Ex autographo. **W**ir Ludwig der elter grafe zu Oetingen tun chunt mit difem brief für uns, und unfer erben, daz wir dem erbern beschaiden manne Ludwig Hofwart dez langen Hofwarten fun von *Siggingen*

gen recht und redlichen verlihen haben, und verlihen in auch mit disem briefe *Mulnbach* daz unter dorf, unter *Ravensperg* gelegen, und waz darzu gehort, besucht und unbesucht, ane alle geverde, uns und andern unsern luten und mannen mit recht zu halten, und darüber zu ainem waren urkund und sicherheit, geben wir in disen brief versigelten mit unserm insigel, daz hieran hanget, der gegeben ist nach Kristus geburt drüzen hundert jare, und in dem vier u. sehzigesten jare, an dem nehesten sampztag nach St. Michahels dag.

Num. XXI.

Alberti Goleri de Ravensperg charta, qua partem suam vici Mulnbach civitati Eppingensi vendit an. MCCCLXXII.

 GENTILIVS VICTOR VETERANUS LEGIONIS
 XXII PR. PIAE FEL. MISSUS HONESTA MISSIONE NEGOT
 IATOR GLADIARIVS
 TESTAMENTO SVO FIERI
 JVSSIT AD SESTERTIOS NUMMOS VIII MILLE.

Quid veteranus ille Fortunæ reduci fieri jufferit, non enun-
 tiatur in lapide, neque necessarium erat, opere ipso cum inscri-
 ptione sua superflite. Nunc vero deperdito aut disjecto opere,
 quid hoc fuerit, conjectura est assequendum. Fortunæ reduci
templum omni cultu exornavit Ruffus quidam Spoleti, & aram
 de suo maximam posuit, Orfito & Maximo coff. æræ Chr. an.
 CLXXII, adeoque sub imp. M. Aurelio, Commodi patre. (d) De
 Fortunæ *fano* loquitur vetus epigraphe apud Maffejum. (e)
 Sed & *statuam* Jovi Sereno atque Fortunæ reduci imp. Septimii
 Severi, qui Commodo successit, Romæ positam fuisse, aliunde
 novimus (f). Statuam templo ego præferrem, ob formam la-
 pidis,

(d) *Grut. Inscript.* pag. MXIV, 1, & MLXXXII, 2.

(e) *Mus. Veron.* p. LXXXV, 4.

(f) *Grut.* MIX, 9.

pidis, aræ majori similis, qui basis statuæ sustinere eam commodissime potuit. Et impositæ sane statuæ indicia quædam haud dubia adhuc remanent. *Signum*, quod statua minus, in Latio, ipso Commodo II & Aurelio Vero II Coff. æræ Chr. CLXXIX Fortunæ primigeniæ dedicatum fuit. Reducis Fortunæ imaginem nummi servarunt variam, alii sedentem, alii stantem, nonnunquam cum gubernaculo, semper cum cornu abundantiæ, fortunæ symbolo ordinario. Statæ vel manentis effigiem ex ara quadrilatera Heidelbergensi alibi expressimus. (g)

Misso primo inscriptionis versu, qui nulla plane difficultate laborat, ad secundum progredimur, in quo universi, præter Montefalconium, qui lacunam neglexit, editores defectum quendam vocis indicarunt, cujusnam, ignari. Quatuor fuere imperatores *M. Aurelii Antonini*, Philosophus, Commodus, Caracalla & Elagabalus, quorum duo, Philosophus & Elagabalus stylo publico aliud, quod in deleti locum substituatur, nomen non gesserunt. Caracalla autem *M. Aur. Severus Antoninus* scribi & appellari passim voluit. (h) Quæsi nominis Severi vestigia, ut Caracallæ tribuerem. Negabat lapis, ut Commodus prodiret, cujus profecto inventi vocabuli ductus literarum adhuc apparent tam perspicui, ut adductus testis oculatus nemo non videat.

His confectis, consultone an casu quodam fortuito lapidi vis illata, dispiciendum erit. Commodum foedissimis imperii Rom. principibus accenseri, in vulgus notum. Eo occiso, statuas ejus laceratas, opera alia everfa, imo & *nomen alienis operibus incisum* jussu senatus erasum esse, post Dionem Cassium (i)

P 3

Lam-

(g) *Act. acad.* tom. 1, ad pag. 193.(h) *Maffei. mus. Veron.* p. CI, 3.(i) *Vita Pertinacis* §. 2.

Lampridius (k) memoriae prodidit. Cingius Severus pontifex nomen Commodi ex omnibus privatis publicisque monumentis erudendum tum suaserat. (l)

Obtemperatum huic senatus decreto Romæ & in Italia, teste inscriptione haud procul a civitate Tarvisio triginta abhinc annis reperta. (m) Neque minus obtemperatum in Germania sup. ejus Moguntia caput fuit, idque epigraphæ nostræ certissime nobis persuadet, in qua omnia illæsa, præter unicum *Commodi* nomen, quod tam accurate excisum, ut nihil minus quam casu quodam id accidisse suspicari quis possit. Parciturum reliquis Commodi nominibus, propter patrem, qui ea gesserat, tanto cariorem populo, quanto filius degener ei fuerat invisus. Sub Pertinacis, qui Commodum statim suffectus est, imperio, quantumvis brevi, vim, quam diximus, illatam esse, non serius, facile nobis concedet, qui Pertinacis successorem, Didium Julianum, ut militibus prætorianis placeret, *Commodi* quoque cognomen sibi adscivisse (n) & Juliano mox interfecto Septimium Severum cogitat increpasse senatum, quod Commodum ignominia notasset, imo heroicis tyranno honores decrevisse, uti Dio habet, id est, Deum appellasse, uti Spartianus. (o) Neque hoc anceps, quod Marci Aurelii filium & Commodi fratrem arroganter sese dixerit Severus. (p) Eadem imperii Pertinacis bre-

vi-

(k) *Vita Commodi* cap. 17.

(l) *Ibid.* cap. ult.

(m) *Murator. thes. inscr.* tom. I, p. CCCLIX, I, & *Maffej. mus. Veron.* p. CXIII, I.

(n) *Dio Cass.* LXXIII, 12. *Herodian.* II, 6.

(o) *Vita Severi* cap. XII.

(p) *Dio Cass.* in *Severo* §. VII. Adde *Gruter.* CCLXI, 5, & *Sponii miscell.* pag. 176.

vitae & successorum ejus in Commodum propensione, sive vera sive ficta, factum esse videtur, ut lapides Commodiani passim remanserint, in quibus nihil erasum. (q)

Occasione hac de poena ista rasi publico decreto nominis in alios principes viros exercita, ne solus sit Commodus, pauca adjiciemus, argumentum dissertationis antiquariae, quod Fontaninus sibi olim proposuerat tractandum, (r) at tractatum ab ipso aut quopiam alio esse non memini.

Pulsis regibus L. Tarquinius Collatinus, vir bonus, propter solum Tarquinii nomen, & consulatum deponere & cedere civitate coactus est. (s) Invisa sibi nomina Romani veteres neque audiri inter se neque legi voluerunt. Herodes Atticus, vir consularis, apud Gellium (t) „ antiquos, ait, Romanorum au- „ dio praenomina patriciorum quorundam male de republica „ meritorum & ob eam causam capite damnatorum, censuisse, „ ne cui ejusdem gentis patricio inderentur; ut vocabula quo- „ que eorum defamata atque demortua cum ipsis viderentur. „

Ita M. Manlius Capitolinus, post capitolium a Gallis felicissime servatum, regni affectati ac seditionis plebejæ reus, de saxo Tarpejo dejectus atque sancitum est, *ne quis deinde M. Manlius vocaretur.* (u) De M. Antonio triumviro, manu sua mortuo, Dio Cassius (x) refert, ornamenta ejus partim dejecta, jubente senatu, partim deleta esse, insuperque interdictum, ne quis ex
An-

(q) Ap. Gruter. XLV, 9. LVI, 4. LVII, 12. LXVI, 7. &c. Fabretti *inscript.* cap. x, num. 108.

(r) *Antiquit. Hortae* Lib. I, cap. 3.

(s) *Livius* Lib. II, cap. 2.

(t) *Noët. Attic.* IX, 2 fin.

(u) *Liv.* VI, 20.

(x) *Lib. LI, §. 19.*

Antonia gente *Marci* prænomen ferret; idque confirmat Plutarchus. (y) Patricia gens Claudia „ *Lucii* prænomen repudiavit, „ postquam a duobus gentilibus, præditis eo, alter latrocinii, „ cædis alter convictus est. „ (z) L. Scribonius Libo Drusus quum metu Tiberii imp. qui eum in senatu graviter objurgaverat, manus sibi ipse intulisset, Cn. Lentulus censuit, *ne quis Scribonius cognomentum Drusi adsumeret.* (a) Prænominum & cognominum posteris interdictorum hæc prostant exempla.

Cn. Pifo. Sed & eodem Tiberio principe radendi nominis usus, apud Romanos deinceps frequentissimus, primum invaluit. De Cn. Pifone enim, necis Germanici cæsaris accusato, Aurelius Cotta eos. sententiam rogatus, *nomen Pisonis radendum fastis* censuit, partemque bonorum ejus publicandam, ita ut pars Cn. Pisoni filio concederetur, *isque prænomen mutaret.* Restitit Tiberius, ne Pisonis nomen fastis eximeretur, quando M. Antonii, qui bellum patriæ fecisset, & Juli Antonii, qui domum Augusti violasset, manerent. (b)

Sejanus. Ignominia autem ista rasi e publicis tabulis nominis brevi post affecti sunt Apidius Merula, quem Tiberius, quod in acta D. Augusti non juraverat, *albo senatorio erasit,* (c) & L. Ælius Sejanus, præfectus prætorio, summusque facinorum Tiberii imp. focius ac minister, qui a fastigio hoc suo suspicione suspicassimi principis dejectus cum suis omnibus miserrime periit anno urb. DCCLXXXIV, Chr. XXXI. De statu ejus confractis atque direptis Dio Cassius (d) testis est. Sed nec
con-

(y) *Vita Cicer.* pag. 886.

(z) *Sueton. in Tiberio* cap. I.

(a) *Tacit. Annal.* II, 32.

(b) *Id. Annal.* III, 17 & 18.

(c) *Ibid. Lib. IV, cap. 42.*

(d) *Lib. LVIII, §. II.*

consulatus Sejani cum Tiberio eodem anno gesti memoria in factis consularibus ulla supereft. (e) Factum insuper, ut neque Faustus Titius Liberalis, sevir Augustalis, in elegantissima inscriptione Interamnensi, providentiæ Tiberii cæsaris *sublato hoste perniciosissimo populi Romani* anno sequenti posita, (f) neque Valerius Max. in longo sceleratorum hominum indice (ff) Sejani nomen exprimere ausi sint. Indigitat eum Valerius hac increpatione: „ Tu videlicet efferatæ barbariæ immanitate truculentior habenas Rom. imperii, quas princeps parensque noster „ (Tiberius) salutari dextra continet, capere potuisti. „

A magistratibus ad ipsos hæc poena principes mox transiit. Caligula
Sunt inscriptiones antiquæ, quæ Caji Caligulæ, immanis illius hominis, nomini vim illatam testantur, cujus memoria ut aboleretur, omne æreum numisma, quod imaginem ejus expressam habuit, senatus conflare iussit. (g) Bononiæ marmor servatur, cum hac de balneo publico epigraphe: (h)

DIVVS AVG. PARENS
DEDIT
— — — — — AVGVSTVS
GERMANICVS
REFECIT

Tom. II.

Q

Augu-

(e) *Noris epist. consul.* opp. tom. II, pag. 863.

(f) *Gruter. inscript.* pag. CXIII, 2.

(ff) *Lib. IX, cap. XI.*

(g) *Dio Cass. Lib. LX, §. 22.*

(h) *Malvas. marmor. Felsin, sect. 3, cap. 4, pag. 131, & Gruter. inscript, p. CLXXX. 7.*

Augustus *parens* hic non Augusti Germ. qui subsequitur, sed coloniae Bononiensis ab ipso deductæ, uti in alio Jaderæ, Illyriciani oppidi marmore (i), dicitur (k). Alter Augustus, cujus *eratum* nomen, alius vix esse potest quam Cajus Cæsar; quem restituendum quoque censuit Alexander de Nigris, (k) majore longe verisimilitudine, quam Domitianum Reimarus (l). Domitianum profecto tam concise tamque modeste monumento publico nemo inscripserit. Ad alterutrum autem principem referri debent verba Jovis & deæ Syriæ statuis a Veturiis, patre & filiis, Romæ subscripta:

VOTO SVSCEPT. PRO SALVTE

— — — — —
— — — — —
— — — — —

AVG. GERMANICI

PONTIFICIS MAXIMI TR. POT &c.

Elogia enim ista in Cajum & Domitianum æque cadunt, uterque a primo imperii sui anno cum *Germanici* & reliquis usus sit titulis. Ad Cajum Alexander de Nigris (m) retulit, ad Domitianum Gruterus (n).

Scribonia-
nus

Qua sub Tiberio Sejanus, eadem Scribonianus infamia sub Claudio imp. notatus est, Dalmatiæ præfectus, quod res novas moli-

(i) *Grut.* p. CLXVI, 5.

(k) Epistola de vetustiss. lapideæ cujusd. inscriptionis *erazione* ap. *Malvas.* l. c.

(l) In not. ad *Dion. Cass.* pag. 1118, §. 2.

(m) *Marmor. Felsin.* alleg. p. 136.

(n) *Inscript.* XII, 2. & LXXXVI, 5.

molitus erat. Arreptum principatum quinto die cum vita amittit. (o) Decennio ante cum Cn. Domitio Ahenobarbo consultatum gesserat, a quo Tacitus annalium suorum librum sextum ortus est, eundemque consulatum notaverat Interamnensis inscriptio, in Sejano supra laudata, in qua post

CN. DOMITIVM
AHENOBARBVM = = = = =
= = = = = = = = = COS

alterius consulis nomen erasum, Scriboniani scilicet, majestatis rei, uti pluribus docuit Norisius. (p) Unus itaque hic lapis Interamnensis duobus nominibus, altero penitus suppresso, altero publica auctoritate raso, memorabilis est.

Messalina, Claudii imp. uxor, super cetera flagitia atque Messalina dedecora cum vivo marito suo alteras nuptias iniisset, supplicio affecta est. (q) De Claudii animo, nece hac minime commoto, Tacitus (r) addit: „ Juvit oblivionem ejus senatus, censendo *nomen & effigies privatis ac publicis locis demovendas.* „ Mart. Smetius (s) & ex hoc Jan. Gruterus (t) titulum ediderunt Romanum, in quo post Claudii imp. nomina & elogia voces quasdam studio deletas Smetius ipse observavit, quasnam ignarus:

Q 2

PRO

(o) *Dio Cass.* lib. LX, §. 15.

(p) *Epist. consular.* opp. tom. II, pag. 864 sq.

(q) *Sueton.* in *vit. Claudii* cap. XXVI.

(r) In fine libri XI *annal.*

(s) *Antiq. inscr.* XLIX, 6.

(t) *Inscript.* CXIII, I.

PRO SALUTE

TI. CLAVDI. CAESARIS AVG. GERMANICI PONT. MAX. TRIB.

POT. VII. COS. III.

IMP. XV. P.P. CENSORIS = = = = = LIBERORVMQUE = = = = =

Claudii tribunitia pot. VII & consulatus IV incidunt in annum Chr. XLVII, quo ipso Messalina meritas lascivæ suæ penas dedit, relictis Britannico & Octavia liberis. Erafum itaque haud dubie primum VALER. MESSALINAE AVG. nomen, dein post vocem *liberorumque* pronomen relativum EORVM sive IPSORVM, ut nulla plane adulteræ memoria remaneat.

Nero

Nero, perditissimus principum, matris, uxorum, fratris, præceptoris, necessariorum & amicorum omnium parricida & carnifex, *hostis a senatu judicatus* & quæsitus est, ut puniretur more majorum. (u) Est epigramma Neapoli repertum apud Gruterum: (x).

Q. VOLVSI SATVRN.

P. CORNELIO SCIP. COS.

AVGVSTALES

QVI = = = = = CLAVDIO

CAESARI AVGVST. ET

= = = = = AVGVSTAE

I. O. M. ET GENIO COLONIAE

LVDOS FECER. &c.

Ex

(u) Verba Suetonii in *Ner.* cap. XLIX.(x) *Inscript.* IX, 4.

Ex consulatu Volufii & Scipionis ad fecundum imperii Neronis annum, Chr. LVI, monumentum hoc pertinere intelligimus. Neronem, muficæ amantiffimum, Neapoli primum in scenam prodiiffe, ibidemque sæpius & per complures cantaffe dies, Suetonius (y) refert. In Græca urbe prima forte specimina artis publica edidit, quæ & principe digna Græcis videbatur, fecus ac Romæ, hacque fine dubio occasione dati funt ludi, quos prolata infcriptio celebrat. De *Nerone*, invifo vocabulo, quarta linea rafø dubium nullus movebit.

At linea fexta rafum infuper Auguftæ cujusdam; de qua Agrippina nunc quærimus, nomen. Nero uxorem habuit Octaviam, Claudio imper. ex Meffalina genitam, a qua brevi post fufceptum imperium fato quodam, an quia prævalent illicita, verba funt Taciti, (z) abhorruit, in amorem libertæ ex Asia oriundæ prolapsus.

Sed & matrem tum habuit Agrippinam, Germanici filiam, quæ tertiis fuis cum Claudio imp. nuptiis ipfum ex Cn. Domitio genitum in folium evexit, femina ambitiofa & fallaciarum plena, cujus auctoritate Claudii extrema & Neronis initia penitus regebantur. Tacitus, de Neronis per Claudium adoptione fcribens, hæc addit: *augetur & Agrippina cognomento Auguftæ.* (a) Peculiari fenatus decreto id fiebat, nec Octaviam cognomento ifto unquam ornatam fuiiffe conftat. Quæ cum ita fint, Agrippinæ matris memoriam, filio sublato, damnatam cum nomine filii fuiiffe colligimus, & ex monumentis publicis fublata.

Dubitavit Muratorius (b) de infcriptione quadam initio fuo truncata:

Q 3

==

(y) *Ner.* cap. xx.

(z) *Annal.* XIII, 12.

(a) *Annal.* XII, 26.

(b) *Thef. infcr.* tom. I, p. CCXXVII, 4.

- - - - -
 - - - ONI H MAXIMO
 - - - - A VII IMP. III COS. IIII

cuinam tribuenda sit Augusto. At si notas, quæ in epigraphe occurrunt, chronologicas sequaris, atque pONTifici MAXIMO, Tribunitia pot. VII, IMPeratori III, CONsuli III legas, uti legendum omnino esse arbitror, cui præter Neronem alii marmor hoc tribuas, equidem non video.

Domitianus Domitiani, superbi quoque principis, *titulos eradendos ubique, abolendamque omnem memoriam*, senatum decrevisse, Suetonius diferte tradit; (c) idque confirmat Macrobius, (d) secundum quem *infaustum* Domitiani *vocabulum ex omni aere vel saxo placuit eradi*. Longum esset recensere omnes, quæ vim hanc passæ sunt, ex Grutero (e) Fabretta (f) Sponio (g) & Murtorio (h) inscriptiones.

Domitianum secuti sunt Nerva, Trajanus, Hadrianus, Antoninus & Aurelius, optimi principes, quos vivos & mortuos senatus populusque laudavit. At moribus & fato suis Domitianum expressit Commodus, propter quem hoc omne, quod agimus, discutiendum suscepimus.

Morte

(c) *Domit.* ad finem.

(d) *Saturnal.* I. 12.

(e) *Inscript* v, 2. LXVIII, I. CCKLV, 2. CCC.

(f) *Cap.* IV, n. 158.

(g) *Misc. erud. antiq.* sect. x, p. 253.

(h) *Thej. inscr.* CCXXIX, 5 & 6. add. *Marsilii comitis Danubius Pannonic-Moesic.* tom. II, tab. 38.

Morte multasse, si quis vel solum Getæ, fratris sui, quem ipse necaverat, nomen scripsisset aut pronuntiasset; succensuisse faxis, quæ imaginem ejus sustinebant; monetam insuper hac imagine signatam conflasse, Dio Cassius (i) de Caracalla imp. tradit. Romæ in basi grandi legitur: (k)

Geta

DIANA E
 PRO. SALVTE
 IMP. L. SEPTIMI. SEVERI. ET
 M. AVRELI. ANTONINI
 AVGG. ET
 = = = = =
 IVLIAE. AVG. MATR. CASTR.
 = = = = =

Ibidem in hortis Justinianeis: (l)

FOTVNAE. AVG.
 PRO. SALVTE. ET. REDITV
 DOMINORVM. N...
 SEVERI. PII. FIL.
 ANTONINI. AVG.
 = = = = =
 ET. IVLIAE. AVG. MATRIS
 AVG.

in

(i) Lib. LXXVII, §. 12, edit. Reimari.

(k) Gruter. *inscript.* p. XXXIX, 3.

(l) Fabrett. *cap. x*, n. 107.

in quibus sane, ut & in aliis multis hujus generis monumentis apud Gruterum (m) & Gorium, (n) P. Septimii Getæ Cæs. nomen erasum esse nemo dubitabit. Huc quoque Cl. Cannegieter (o) lapidem Leidæ inventum retulit. At certius longe huc referimus fragmentum aræ votivæ, ad pedem montis, cui insidet castrum Wafenburg, prope Niderbronnâ in Alsatia inferiore paucis abhinc annis repertum, indeque in aulam antiquariam ill. Schoepflini Argentoratum translatum, cujus hæc est imago.



Supereſt *Legionis VIII Aug.* nomen, & additi conſulatus nota: IMP. ANTONINO II ET — — — — COSS. Antoninus Cara-

(m) Ibid. p. xxxii, io. xlvi, 9.

(n) *Inſcript. antiq. Etruriae* tom. i, pag. 22 & 38r.

(o) *De gemma Bentinck.* p. 54.

Caracalla iterum consul an. Chr. 205 collegam habuit fratrem suum Getam, vivo patre Severo imperatore. Exulat itaque Getæ nomen, ut in superioribus, non casu, sed deliberato consilio excisum.

Eandem Caracallæ rabiem experti sunt arcus duo Septimii Severi, Romæ superstites, alter e regione fori Romani, alter in foro boario. Illum S. P. Q. R. ob remp. restitutam imperiumque populi Rom. propagatum, hunc argentarii & negotiantes boarii poni curarunt. Utrumque Josephus Maria Suaresius, episcopus olim Vasionensis, doctrina sua illustravit, & Jo. Jac. de Rubeis ære expressit inciso. (p) In priore inscripta leguntur Severi & Caracallæ, in posteriore eorundem & Juliæ aug. nomina. In illo post Caracallam, in hoc Caracallam inter & Juliam spatia sunt adulteratione quadam foedata. Marmor ibi depressius & vestigia characterum obliteratorum manifesta apparent, e quibus Hadrianus Auzout verba ET P. SEPTIMIO. GETAE. NOBILISSIMO. CAESARI. collegit. De P. Septimii Getæ nomine raso convenere omnes, præter unum Fontaninium, (q) qui Plautianum, Caracallæ focerum, utrobique intrudit, mira sane audacia, quæ in virum tanta dignitate atque doctrina conspicuum, cadere minime debuisset. Scimus & docebimus mox Plautiani nomen alibi esse erasum; at quis antiquitatis & morum non prorsus ignarus in monumento publica auctoritate in honorem domus augustæ sumtuosissime erecto, additum ante uxorem & matrem augustam honoris socium fuisse præfectum prætorio & consularem hominem, omisso principis tum imperantis filio cæsare.

Tom. II.

R

Romæ

(p) *Jo. Petri Bellorii arcus Augustor. triumphis insignes*, tab. 9 & 20.
 Adde *Overbekii reliq. antiquae urbis Romae* tom. 2, pag. 3 & 7.

(q) *Antiquit. Hortae* Lib. 1, cap. 3.

Romæ ara prægrandis a liberto Augustorum Jovi posita
fuit (r)

PRO. SALVTE. AVGG. N. N.
L. SEPTIMI. SEVERI. PII
PERTINACIS. ET
AVRELI. ANTONINI. PII
FELICIS. AVG. ET
IVLIAE, AVG. ET S. P. Q. R.

ubi verba inclinatis caracteribus expressa lapidis hujus editores
prius erasa, sed postea restituta esse annotarunt. At verisimilius
longe, suffecta illa esse in locum nominis Getæ deleti, quod omis-
sum in monumento domestico aut neglectum fuisse, in quo post
domum augustam senatus populique Rom. ratio quoque habita,
mihi sane nemo persuadebit.

Est inscriptio Africana :

IVLIAE DOMNAE AVG.
MATRI CASTRORVM
MATRI AVGVST = = = =

posita, ubi quatuor ultimas literas antiquissima manu in odium
Getæ, quasi esset Augusti, id est, Caracallæ, non vero *Augusto-*
rum, Caracallæ & Getæ, mater, sublatas fuisse, Gorius jam
observavit. (s)

Ad

(r) *Grut. inscr. xi, 5.*

(s) *Inscript. Etrur. part. i, pag. 6 & 7.*

Ad Plautianum autem, cui Fontaninius tantum favit, & filiam ejus Plautillam, Caracallæ cæsari nuptam, certissime pertinet tabula marmorea in ædibus Calotianis olim conspicua, (t) in qua nomen Plautiani deletum hoc modo:

IMP. L. SEPTIMI. SEVERI. AVG. PII. FELICIS
 PONTIFICIS. ET. PARTHICI. MAXIMI. COS. III. NVRVI
 FILIAE
 — — — — —
 PONTIFICIS. NOBILISSIMI. PR. PR. NECESSARII
 AVGG. ET. COMITIS. PER. OMNES. EXPEDITIONES. EORVM

Etenim Plautianus utrique imperatori, Severo patri & Caracallæ filio, ut regno ipse potiretur, insidias struxerat, quibus detectis justam læsæ majestatis poenam dedit. (u) Plautilla quoque in Siciliam relegata, mortuoque Severo focero, insanientis mariti jussu, neci data est. Spartianus (x) de Severo, hostem publicum appellasse Plautianum, & depositis statuis ejus per orbem terræ gravi insignivisse injuria tradit.

Caracallæ, violanta denique morte sublata, nomen ne tam ignominiose, quam meruerat, haberetur, ipsius in imperio successor impedivit, qui flagitium hoc hominis inter deos collocari a senatu voluit. (y) Quæ cum ita sint, ad Philippum imp. & filium ejus cæsarem, quam ad Caracallam & Getam referre

R 2 malu-

(t) Gruter. *inscript.* cclxxx, 6,
 (u) Herodianus *hist.* lib. iii, cap. 12.
 (x) *Vita Severi imp.* cap. 14.
 (y) Spartianus *in vita Auton. Caracalli* cap. ult.

malum consulatum expunctum in basi quadam antiqua apud Gruterum, (z) ubi:

IMP. CAES. = = = = = PIO FELIC. II. ET
= = = = NOBILISSIMO. CAES. COS

Alias profecto Caracallæ & Getæ consulatum, supra in lapide Alfatico restitutum, hic quoque facile admitterem.

Macrinus

Caracallæ Macrinus in imperio successit d. VI Aprilis an. 218, & consulatum ordinarium inivit cum Coclatino Advento. Elagabalum, Macrini mox successorem, consulatus ejus loco nomen suum substituisse, Dio Cassius (a) refert, postquam tribus in literis ad ipsum Dionem, Pergamo tum & Smyrnæ civitatibus ordinandis præfectum, datis, solius Adventi nomen apposuisset, ac si solus ille consulatum gessisset. E fastis itaque consularibus erasum Macrini nomen, jussu Elagabali, qui Antoninus dici & Advento jungi voluit collega in consulatu jam gesto stultissime; unde in fastorum tabulis *Antonini Aug. & Adventi* consulatus celebratur, expuncta Macrini memoria; quæ quidem Norisius (b) optime jam observavit.

Sed & ex marmoribus Macrini ac Diadumeniani, filii ejus, nomina proscripita sunt, apud Gruterum: (c)

IMP. = = = SEVERVS = = = =
COOPTATVS

C. BRVTIO. PRAESENTE. T. MESSIO. EXTRICATO.

II. COS.

P.R.C. ANN. DCCCCLXX.

Ubi

(z) *Inscript.* cccxi, 1.

(a) *Lib.* lxxix. §. 8. edit. Reimar.

(b) In *epistola consulari*, operum ejus tom. 2, pag. 990 sqq.

(c) *Pag.* ccc. 1.

Ubi ex consulatu & addito urbis conditæ anno intelligitur facile, de Macrino imp. fermonem esse, adeoque supplendam inscriptionem hoc modo: Imp. *M. Opellius Severus Macrinus Aug. cooptatus.* Mansit intactum nomen *Severus*, Elagabalo venerabile, quod Macrinus, factus imperator, ut sanctior videretur, assumerat. (d)

Apud Fabretum: (e)

VICTORIAE REDVCIS. DD. NN
 = = = = =
 PII FELICIS AVG. ET = = = = =
 LIAE = = = = =
 -IVGL D.N. MILITES. LEG. II
 PARTH = = = = = P.F.E
 AET. Q.M. COCLATINO. AD
 VENTO COS &c.

Inscriptionem hanc, a vitiiis licet non immunem, ad alios tamen principes, quam ad Macrinum & Diadumenianum, nemo retulerit, propter additum Adventi, quo hi regnarunt, consulatum. Restituenda fere epigraphe hoc modo:

VICTORIAE. REDVCIS. DD. NN.
 IMP. M. OPELLI. SEV. MACRINI
 PII. FELICIS. AVG. ET M. OPEL
 LI ANTONINI DIADVMENIANI CAES. &c.

R 3

Nomen

(d) *Capitolinus in vita Macrini cap. 2.*

(e) *Cap. IV, n. 511.*

Elagabalus Nomen Antonini, quod Elagabalus gesserat, *eratum est* senatu jubente, remansitque Varii Heliogabali, siquidem illud affectato retinuerat, quum vellet videri filius Antonini. Verba hæc sunt Ælii Lampridii, vitæ ejus scriptoris. (f) In area sacelli S. Aurei prope Dalheim, suburbicarium Moguntiae monasterium, *Genio collegii Juventutis vici Apollinefis Acutius Ursus & Acutia Urfa* donum dedisse legebantur, IMP — — — — — ET COMAZONTE COS. (g)

Ex superstite Comazontis nomine Antoninianum exulare perspicimus, quod Antoninus Elegabalus & Eytichianus Comazon una consules fuere an. Chr. 220. Servabat contra hic lapis, quem interiisse dolemus, memoriam vici Romani, aliunde non cogniti, qui *Apollinefis* vocatur, rectius forte *Apollinenfis*.

Ad eundem Elagabalum trahitur lacuna epigraphes sequentis: (h)

PRO. SALVTE. ITVS. AC
 REDITVS. D. N. SANCTIS
 SIMI — — — — —
 TI. AVG. AEDICVLAM &c.

Quam lacunam Pighius sic implendam esse censebat: M. AVREL. ANTONINI INVIC.

Infensus & infestus Alexandro cæsari, filio suo adoptivo, Elagabalus, missis ad milites literis jusserat, ut abrogaretur ei nomen cæsaris, *statuarumque ejus tituli ut luto tegerentur, ut fieri solet*
de

(f) Cap. xvii.

(g) *Joann. scriptor. rer. Mogunt.* tom. nov. p. 343.

(h) *Ap. Gruter.* II, 12.

detyrannis. (i) Ad quem locum notat Cafaubonus, folitos Athenienfes damnatos alicujus criminis lutulare & ita traducere, quod προσηλακιζειν dixerunt. Suidas in hoc verbo iuto perunctos fuiſſe ſcribit, quos ſuo tempore fuligine illinebant, contemptus & contumeliæ cauſa. At non ſtatuas, ſed titulos ſtatuarum luto tegere Elagabalus jufferat; idque tyrannis fieri Lampridius teſtatur.

Nunc redimus in viam, unde digreſſi ſumus, ne juſtæ difſertationis leges violare videamur. Satis de improbis, quorum damnata memoria, in conſeſſu maxime, quem decus principum inſtituit. Verſus lapidis poſtri tertius elogia Commodi habet PII FELICIS, nihilque ſupra, ut expungendæ omnino ſint literæ I. S. . . . quas Muratorius addidit. *Pii* cognomen avus Commodi primus tulit Antoninus juſtiſſime. Abſtinuit eo pater, qui optime meruit. At filius impius & perditiffimus tum *Pius* tum *Felix* nuncupari voluit, primo inter imperatores cæſares exemplo, quod imitati ſunt Severus ejuſque ſucceſſores, boni pariter ac mali. Gruterus, criteriî hujus ignarus, nonnulla M. Aurelii Antonini P. F. marmora, quæ Caracallæ ſunt, ad Antoninum Philoſophum male retulit. (k) De Commodo Lampridius (l) rem ita refert: „ Senatu ſemet ridente, quum ad „ ulterum matris conſulem designaſſet, appellatus eſt *Pius*, „ quum occidiſſet Perennem, appellatus eſt *Felix*. „ Medio- barbus (m) ex nummis an. 182 hoc factum eſſe ſtatuit; nec video

(i) Ita Lampridius in *vita Anton. Elagab.* cap. 13 ſq.

(k) Pag. cclx, r. 5. Adde Bimardi epiſt. ad Maſſejum, quæ præfixa *theſauro Murat.* col. 118.

(l) In *vita Commodi* cap. 8.

(m) *Numismat. imp. Rom.* pag. 247, edit. poſtr.

deo, cur Argelatus, Mediobarbi cenfor, Tillemontio suffragetur, qui quadriennio serius ponit. Tillemontii auctoritas, alias summa, seduxisse Argelatum videtur. Aut Lampridius erroris accusandus, aut Perennis, præfectus prætorio, an. 182 occisus est, quoniam hoc anno Commodi numismata, P. FEL. elogia primum habent. Ea in lapide nostro expansæ & præ reliquis verbis latissime expressa novum quid atque insolitum haud obscure indicant. Respicit ad idem Commodi inventum nummus maximi moduli, in cuius averfa parte: AVG. IMP. OMNIA FELICIA P.M. TR. P. XV IMP. VIII COS. VI PP. nec non Græcus Cæsariensium ΚΟΜΟΔΟΥ ΒΑΣΙΛΕΥΟΝΤΟΣ ΚΟΣΜΟΣ ΕΤΥΧΕΙ. (n)

Imperatoris nomina & elogia sequitur versu quarto nomen, cui opus factum est: FORTVNAE REDVCI, de qua supra. Vocabulum *redux* duplicem sensum admittit, proprium & improprium, ita ut significet tum eum, qui reducit alium, tum vero, qui rediit ipse. Sensu hoc vocis posteriore frequentissime utuntur optimi linguæ Latinæ auctores, Terentius, Cicero, Virgilius: ut adeo Fortuna *redux* dici posset, quæ rediit ex fuga; quum neminem non facillime deserat. At altero proprioque sensu Fortuna in nummis & Japidibus celebratur *redux*; ut vel ex Dione Cassio discimus, qui de Augusti ex bello civili reditu memorat, eum ex multis, quæ Romæ in honorem suum decreta sunt, nihil accepisse, nisi quod Fortunæ reduci aram consecrari, diemque reditus sui inter ferias referri & Augustalia dici passus sit. (o) Ara hæc Fortunæ reducis Augusti comparet in nummis, æque ac effigies, sub Vespasiano & Hadriano maxime, quorum ille Alexandria per mare, hic ex multis per orbem

(n) Utrumque hunc nummum laudat *Maffej. epist. xxii. de Gall. antiq.* pag. 112, edit. Paris.

(o) Lib. LIV.

bem suum peregrinationibus salvus in urbem redierat. Appri-
me huc faciunt Claudiani poetæ (p) verba:

„ Aurea Fortunæ Reduci si templa priores

„ Ob reditum vovere ducum &c.

Cujusnam fuerit Fortuna redux in titulo nostro laudata, versus quintus declarat LEG. XXII. PR. P. F. quas quidem siglas *Legionem vigesimam secundam primigeniam piam felicem* denotare nulli dubitamus. Primigeniam legionem hanc diferte vocat Spartianus (q), ubi Didium Julianum ei post præturam Romæ gestam in Germania præfuisse narrat. Sunt inscriptiones, quæ PRIM. sunt, quæ PRIMIG. vocem istam abbreviatam habent. (r) Primigenia autem legio dicebatur, quæ intacta, primitiva, non ex aliis conflata, veluti radix permanfit; opposita iis, quas geminas vel gemellas Romani dixere. Hoc primigeniæ elogio tum vigesima secunda, tum nonnullæ aliæ legiones ornantur. Donius LEG. XII habet falsissime.

Siglas P. F. *piæ felicitis* interpretatus sum, ita tamen, ut *pol-
lentis fidelis* vel simile quidpiam intelligi per me liceat. Hardui-
nus (s) siglas legionibus adscriptas non earum virtutes significa-
re putat, sed principes pios felices, a quibus honoris causa cog-
nomena sua traxerint; neque ante Commodum legionem
ullam felicem dictam esse asserit. Frequentissima sunt ad Rhe-
num, superiorem potissimum, legionis XXII ex seculo II &
tertio monumenta literata; quorum sola Moguntia quindecim
fere numerat; quæ partim Huttichius olim, partim alii prodie-
dere.

Tom. II.

S

Addi-

(p) *De sexto consulatu Honorii*, carm. XXVIII, vers. 1..

(q) *Vita Didii Juliani* cap. 1.

(r) Vid *Schoepfsini Alsat. illustr.* tom. I, pag. 441 sq. ubi de legione
XXII fusius.

(s) *Hist. Aug.* p. 489 ed. Amstel.

Addimus nos epigraphen a nemine editam, quæ cum consulatu fit insignis, agitati porro Moguntiaë a legione XXII præfidii tempus docebit.



Dextri & Prisci consulatus incidit in an. aræ Christ. 196
Clodio Albino in Gallia, Sept. Severo Romæ imperantibus.

Edita quidem non semel est, at nusquam recte, inscriptio
sequens, Moguntiacensis olim, nunc etiam cum superiore
Mannheimensis :

P. SOLIVS
P.F. VOL. SV
AVIS. VIANA

MIL.

MIL. LEG. XXII
 PRIM. AN
 XXXXVII. STI

Numerus stipendiorum, & quæ in fine superaddita fuere, mutilato marmore perierunt.

Fortunæ reduci legionis XXII quum dedicata sit statua, eam in hostes tum eductam fuisse, indeque salvam rediisse necesse est. Tacent annales veteres bella Commodo imperante ad Rhenum gesta, nisi quod Julius Capitolinus (t) Albinum, postea cæsarem, circa an. 186 Commodo jussu ad Gallias translatum, fufis Frifis transrhenanis celebre nomen suum apud Romanos & barbaros fecisse refert. Annotat ad hunc locum Salmasius, exulare ex antiquis libris verbum *Frisiis*, & in multis legi *fufis fugientibus Transrhenanis* aut simile quid, ut quilibet Germaniæ magnæ populi, non Frifii tantum, intelligi possint. Qua quidem emendatione admiffa, ex lapide nostro ad Rhenum superiorem magis quam inferiorem Germanos fufos esse concludimus.

Reduci itaque ex hoc periculo legioni XXII veteranus quidam ejus gratulatus est, *Cajus* nempe *Gentilius Victor*. Nomina tria hominis civem Romanum designant. Medium, quod gentilitium, Joannis per GENTIUS, Muratorius per CENNILIUS ex Montefalconio & per GENTIUS ex Donio reddiderunt, neglecta aut corrupta versus quinti litera postrema, quæ duplicata. Alios ego Gentilios alibi non inveni.

Erat *veteranus* Gentilius noster, *missus honesta missione*, consuetum veteranorum, qui bene meruerant, elogium. Aliud enim tres illæ siglæ M H M significare non possunt. Tribuitur verbis integris P. Ælio (u) & C. Marcio Salviano (x) sub Hadria-

S 2

(t) *Vita Albini* cap. vi.

(u) *Græter. inscr.* xviii, 5.

(x) *Ibid.* cviii, 6.

driano imp. M. Antio Agricolæ sub Antonino Pio, (y) L. Domitio Valeriano (z) sub Caracalla imp. at literis tantum initialibus, ut in nostro lapide, rarissime occurrit. Est inscriptio Augustana a Velfero (a) edita, in qua IVL. MACRIANO QVONDAM VETERANO M. H. M. EX. BF. COS. Observat Velferus, de literis M. H. M. Jo. Vivianum, a Lipsio doctum, monuisse eas *missum honesta missione* significare, recte sane, ut mirer, Montefalconium eas *municipii hujus Moguntini* interpretatum esse, idque non displicuisse Muratorio, qui tamen altero loco M. H. N. ex Donio, & M. A. M. ex Eccardo dedit, uter audiendus sit plane incertus. Imo neuter audiendus erat. Trium harum siglarum prima in exemplo Hiegelliano Joannis plane exulat.

Veteranus noster porro fuit *negotiator gladiarius*, nomen neque in scriptore, quod sciam, neque in monumento quopiam alio antiquo enuntiatum. Negotiatores argentarios, boarios, ferrarios, frumentarios, lentiarios, olearios, pullarios, falsarios, vinarios, purpurariæ, thurariæ aliarumque rerum lapides commemorant, nullibi gladiarios. Merces autem magis necessaria Moguntiz, perpetua belli atque bellatorum sede, vix ulla fuit, quam gladii, hacque Gentilium Victorem lucri haud parum fecisse, *testamento suo* is docuit, quo *ad festerios nummos octo mille* operi Fortunæ reduci legionis XXII faciundo legavit. Nota festerii, quæ in marmore nostro expressa, nihil frequentius. De valore ejus, qui nemini doctorum ignotus, non loquor. Id tantum in fine addo, voculam AD interpretari

(y) Ibid. n. 5.

(z) Ibid. XLV, 13.

(a) *Operum* pag. 387. Adde *Grut.* DXLVI, 4.

tari licere per *additis* vel *adjectis*, festertis nimirum, uti ex-
pante legitur in saxo agri Firminiani: (x).

NOMINE FILI ET SVO TESTAMENTO FIERI IVSSIT
ADIECTA PECVNIA

Hæc de lapide, quem *Commodianum* appellavimus, potiore
longe jure, quam urbem Romam *Commodianam* & exercitum Ro-
manum *Commodianum* dici voluit princeps universo orbi quam
maxime incommodus.

(x) In *Murator. thesaur. inscript.* tom. I, p. CCXXV, 9.



DE
LEGIONE I ADIUTRICE

Ad lapidem Moguntinum.

Auctor

ANDREAS LAMEJUS.

Lapides Romani Moguntiaco, ut alibi diximus, ad nos allati, militares sunt plerique, legionum, alarum, cohortium, primis imperii a principibus administrati seculis ibi excubantium, testes, sine quibus ad Rhenum tunc superiorem præsidia agitalse multas ignoraremus.

Quæ seculo I in oris his excubaverint legiones, ex Tacito; quæ tertio seculo, ex Ptolemæo & Dione Cassio addiscimus pene omnes. At ingens hiatus seculo secundo, absque ulla spe futuræ lucis, nisi quam ex marmoribus illius ævi nobis servatis petimus, in quorum numero collocandus omnino est titulus sepulchralis nunc primum proditurus in lucem.

Tituli sepulchrales militum, qui perfectiores esse solent reliquis, præter nomina militis, patrem, patriam, tribum, legionem, alam vel cohortem, ætatem, stipendia produunt & heredem, qui posuit. Horum nihil deest in sequenti, cujus hic festimus imaginem.



Verbis integris inscriptionem legendum esse censemus & exprimendam hoc modo:

MARCUS AEMILIVS

MARCI FILIUS. CLAVDIA FVS
CVS SAVA

MILES LEGIONIS I.

ADIUTRICIS ANNORUM XXV.

STIPENDIORUM VIII. HIC SITUS EST
FRATER EIUS PONI IUSSIT.

Gens Æmilia consularis fuit & perampla, in plures nempe familias divisa, quarum aliæ Galerix, aliæ Camillæ, aliæ Scaptix, aliæ Stellatinæ tribubus, ut marmora docent, fuerunt adscriptæ. Fuscus noster, quod cognomen in aliis quoque gentibus obvium, ad Claudiam tribum pertinebat, æque ac M. Æmilius Nigrinus, qui a rationibus militaribus frumenti legionis XXX fuerat, Romæ sepultus, (c) non tamen propter gentem aut familiam, quod quis credere posset, sed propter patriam, quæ cum jus civitatis Romanæ acciperet, ad tribum istam omnis relata esse videtur.

Patria hæc in lapide nostro vocatur SAVA, Mauritanix Cæsariensis municipium, ex itineralio Antonini & tabula Theodosiana notum. In illo satis barbare scribitur (d)

Iter Saldis Igilgili.

Ad Olivam	M. P. XXX.
Ad Sava municipio	M. P. XXV.
Sitifi colonia	M. P. XXIII. &c.

Con-

(c) *Grut. inscript. pag. DXXVIII, II.*

(d) *Pag. 39 edit. Wesseling.*

Concordat in milliarium numero tabula Theodosiana: (e)

Ad Sava municipium XXV.

Ad Olivam . . . XXX.

Differunt tamen inter se plurimum in situ loci, quem itinerarium inter Saldas & Igilgili, colonias Augusti imp. tabula supra Saldas LXXX milliariis, & Saldas nonaginta & duobus supra Igilgili collocat. Secundum illud Sava viatoribus occurrebat Saldis coloniam Igilgili adeuntibus; secundum hanc per Saldas a Sava, non per Savam a Saldis colonia ista adibatur.

Annotat Wesselingius ad itinerarium, municipium hoc nomen habuisse a Savo flumine, quod in Mauritania Cæsariensi Ptolemæus geographus commemorat. Aliter Cellario visum, qui Savum interlabentibus aliis fluminibus a Sava municipio longe remotum fuisse statuit. (f) Difficile est hanc componere litem, quum vetera monumenta, uti ostendimus, ipsa a se plurimum discrepent. Mauritaniam Augustus jam sub imperii sui initia in provinciæ formam redegit, mortuo, quem ei ipse præfecerat, Boccho rege. (g) Claudius imp. in duas partes illam divisit, Tingitanam & Cæsariensem, ab urbe sua primaria ducentes nomen, (h) quarum illa Maroccanum, hæc Algerianum maxime regna hodie constituunt.

Tom. II.

T

Tin-

(e) Segmento I. lit. x. editionis Scheybianæ, herculeo auro susceptæ, cujus tabulas æneas bibliothecæ suæ acquisivit CAROLUS THEODORUS, sanctissimum Musis omnibus nomen. Commentarii paralleli ejusdem Cel. Scheybii in tabulam hanc, pretiosissimum geographiæ veteris monumentum, ex prelo nostro acad. prodibunt.

(f) *Notit. orb. antiq.* tom. II, lib. IV, cap. VI, pag. 198.

(g) *Dio Cass.* Lib. XLVIII, §. 45 & Lib. XLIX, §. 43

(h) *Ibid.* lib. LX, §. 9.

Tingitanis Cæsar Octavianus jam civitatis jura concessit, teste Dione, quum a Bogude, Antonii amico, ad Bocchum regem defecissent. In Cæsariensem Mauritaniam, in qua metropolis ipsa, Julia Cæsarea, vel a dictatore vel ab imperatore Julio Cæs. nomen traxit, Augustus colonias Romanas deduci iussit; diversas quidem a municipiis, quale Sava fuit, sed in eo tamen convenientes, quod civitate Romana utraque gauderent, illæ natura sua, hæc peculiari quadam principis largitione. Quis Savæ dederit, nemo veterum prodidit. Dedit autem videtur idem Augustus, qui tam liberalis in Tingitanos fuit, intercedente forte M. Æmilio quodam patrono, cujus nominis consules duo sub eodem Cæsare floruerunt. (i) A patronis enim suis novi cives sæpissime tulerunt nomen.

Savam autem, quod dixi, omnem uni eidemque Claudie tribui fuisse annumeratam, persuadent mihi inscriptiones militares alie duæ, quarum altera Petronellæ in veteris Carnunti ruinis ad Danubium, altera Moguntie quoque ad Rhenum olim reperta. Illam e Lazio Gruterus ita expressit: (k)

C. IVLIVS. C. CLA
SECUNDVS. SAV
LEG. XV. &c.

In linea prima desideratur litera F. negligentia exscriptoris haud dubie. Fuit enim hic legionis XV miles *Cajus Julius Caji filius Claudia* (tribu) *Secundus Sava* oriundus

Mo-

(i) An. V. C. DCCXII, ante Chr. nat. XLII, L. Munatius Plancus & M. Æmilius Lepidus; nec non an. V. C. DCCLIX, post Chr. nat. VI, M. Æmilius Lepidus & L. Arruntius Nepos consules fuerunt.

(k) *Inscript.* pag. DCLVII, IO.

Moguntina autem, uti Huttichius, Apianus & ex Apiano Gruterus (1) dederunt, his concepta est vocibus:

C. VALERIVS
 CI. CLAVDESSA.
 VA. MIL. LEGI. III
 ADIV. AN. XXV
 STIP. VIII
 H. S. E.

Vitiose esse descriptam epigraphen, Reinesius jam vidit, qui de emendatione & interpretatione ejus sollicitus, tum hunc, tum præcedentem titulum ad *Coloniam Claudiam Savariam* detorsit, (m) mira audacia, quæ lapidibus ipsis & veterum stylo epigraphico omni prorsus repugnat. Ad hunc vero stylum accommodare si recte velimus, *Caji Filius, Claudia* tribu, *Udes* cognomine, *Sava* domo, *miles Legionis I adjutricis, annorum XXV stipendiorum VIII* dicendus erit; adeoque inscriptio ita restituenda:

C. VALERIVS
 C. F. CL. UDES SA
 VA MIL. LEG. I &c.

Numerum ternarium legionis non sine ratione proscribo, tertiam adjutricem nullam fuisse certus. Ita C. Valerius ejusdem tribus, ejusdem patriæ, ejusdem ætatis, imo & legionis, eodem

T 2

dem

(1) Ibid. pag. DLXIV, 6. ubi tamen secunda lineæ secundæ litera in L corrupta est.

(m) *Syntagm. inscr. class. VIII, n. 8.*

dem stipendiorum numero fuerit cum M. Æmilio nostro, qui justo ætatis militaris anno, decimo septimo nempe, stipendia mereri coeperat.

Fuerunt ante Severum imp. quatuor legiones primæ, *Germanica, Italica, adjutrix & Minervia* cognominatæ. Germanica (n) ab Augusti excessu ad Rhenum inferiorem in Ubiis excubabat, (o) donec a Vitellio, favore maxime ejus ad imperium everso, in Italicam duceretur, ubi brevi post cum Vitellio suo oppressa, dissipata a Vespasiano aut in aliam faltem legionem illata est. Italicam primam Nero conscripsit, adjutricem Galba, Domitianus Minerviam, ut ex classico Dionis Cassii de legionibus loco (p) patet. Addidit postea Severus, teste eodem Dione, primam Parthicam, ita ut scriptoris hujus, id est, Alexandri Severi imp. ævo, quatuor primæ legiones remanserint, Italica, adjutrix, Minervia & Parthica.

Adjutricem, de qua nobis nunc sermo erit, Galbam instituisse, præter Dionem Tacitus quoque confirmat, qui non tantum *conscriptas nuper legiones in praefidium Galbae, Lugdunenses, Galbae infensos, æmulis suis Viennensibus apud Vitellianos exprobrasse refert, (q) unde natum Viennensibus summum excidii urbis suæ discrimen; sed & Galba infidiis interfecto primam adjutricem a successore ejus Othone imp. primum in aciem ductam adversus Vitellium fuisse narrat. (r) Ferox tum & novi decoris avida* stratis legionis XXI Vitellianæ principiis aquilam

(n) Tribuitur hoc ei cognomen in lapide Claudii imp. ætateposito in Bismardi dissert. 2, cap. 5, ap. *Murator. Thef. inscr.* tom. I, pag. 91.

(o) *Tacitus Annal.* I, 31 sqq. & *Hist.* I, 57.

(p) *Lib. LV, §. 24.* edit. noviss. Reimari.

(q) *Tacit. Hist.* lib. I, cap. 65.

(r) *Ibid.* III, 44.

lam quidem abstulit, sed instaurata mox pugna legatum suum, Orphidium Benignum, cum plurimis signis vexillisque amisit.

Othone devicto Vitellius legionem hanc novam in Hispaniam proficisci iussit: ubi brevi post, manente Othonis memoria victorisque odio, ad novum principem defecit Vespasianum, in cuius obsequium secum rapuit Hispaniam omnem. (s) Vespasianus hic adjutricem legionem secundam, perspecta forte primæ fide tanta, instituit, uti ex Dione quoque addiscimus.

Obstare hisce videntur tabulæ quædam ex ære, (t) quibus Sergius Galba imp. septem *veteranis, qui militaverunt in legione I adjutrice*, Sardinianis natione plerisque, honestam missionem & jus civitatis Rom. *ipsis liberis posterisque eorum, & conubium cum uxoribus, quam tunc habuissent, cum est civitas iis data, aut si qui caelibes essent, cum iis, quas postea duxissent, duntaxat singuli singulas*, sollemnissime concessit a. d. XI Kal. Jan. C. Bellicio Natale & P. Cornelio Scipione Coss. hoc est, die XXII Dec. an. Chr. LXVIII. Oritur sane hinc quæstio, quomodo veterani esse potuerint legionis novissimæ conscriptæ, quum Galba, legionis auctor, mense Junio ejusdem anni ad imperium demum fuisset promotus. Conciliandi alia non superest ratio, quam ut veteranos istos in alia quacunque legione vel cohorte Romana, a Galba forte dissoluta, stipendia meruisse dicamus, antequam in novam adjutricem fuerint recepti. Interiisse sane paulatim ex iis, quas Augustus aluerat, sex legiones, Dio Cassius annotavit. Veteranos nostros Caligulæ, Claudii atque Neronis temporibus militasse, vel ex gentilitis ipsorum nominibus & prænominibus, quæ plerique cum Imperatoribus his communia, colligimus. En nomina hæc: Tiberius Julius Pardula Sardinianus, Cajus Julius Charmius Sard. Tib. Claudius Quirina Fidinus Maonianus, Cajus Julius Caji fil. Collina Libo Sardinianus &c.

T 3

Nata

(s) Ibid. III, 44.

(t) Publicavit eas *Massej. mus. Veron.* pag. xcvi sqq.

Nata ex iisdem tabulis æneis Bimardi baronis ad Maffejum marchionem quæstio, (u) qui factum sit, ut ab honestis missio- nibus civitas Rom. legionariis militibus concederetur, quos ut legionibus nomen darent, cives Romanos jam fuisse oportebat. Respondit Maffejus, civitatis jura quidem ab initio militiæ con- cessa, at ea expleta demum diplomata rei data esse, non omni- bus veteranis, sed iis tantum, quorum probrum ab illicitis con- ubiis iniustum Imperatorum auctoritate abolendum erat, liberi- que in civium albo collocandi.

M. Aurelius imp. Pertinacem prætorium cum fecit, eundem primæ legioni regendæ imposuit, Rhætiæ & Noricum statim ab hostibus vindicaturum. Annotat ad hæc Capitolini (x) verba Casaubonus, videri sibi legionem hic primam adjutricem intelli- gi, quam seculo III in Pannonia egisse, ex Dione certum est.

Substitit hæc legio usque ad Theodosium II & Valentinianum III augustos, quorum in legibus ad Zoilum, præfectum præto- rio, mentio ejus fit honorificentissima: (y) unde non mirum, hoc quatuor seculorum, quo eam viguisse novimus, spatio tot lapides, ejusdem legionis memoriam fervantes, reperiri.

Celebratur in iis M. Titius Rufinus *Tribunus laticlavus Leg. I adj. P. F.* (z) qui dein consulatum Romæ gessit an. CXCVII, nec non C. Cæsonius Macer Rufinianus *Tribunus Leg I adjutric.* (a) donatus olim donis militaribus a Divo Marco, deinde sub Ca- racalla quoque consul an. CCX. In Dalmatia victoriæ Augg. NN.

(u) *Maffej. de Galliae antiquit. epist. 1.*

(x) *Vita Pertinacis cap. 2.*

(y) *Cod. leg. ult. de castr. pecul. & leg. ult. de apparitor. præf. præst.*

(z) *Gruter. corp. inscript. pag. ccccxxxvi, 7.*


(a) *Ibid. pag. cccclxxxvi, 1.*

NN. id est, Severi atque Caracallæ, & *Leg. I adj. P.F. Antoninianæ* dedicatum quid Apro & Maximo Coff. five an. CCVII (b). Habemus hic & alibi legionis nostræ elogia *Piæ, Felicis & Antoninianæ*, quæ a Commodo imp. primum accepisse videtur, æque ac legio XXII, de qua supra.

Faciunt hæc ad tempus, quo illa Moguntiæ perstiterit, propius definiendum. Monumenta enim legionis Moguntina his quum careant elogiis, antiquiora illa esse Commodi regno, inferimus, & Vespasiano posteriora, sub quo in Hispania eam egisse docuimus.

Sunt præter hunc titulum sepulcralem lapides nonnulli moræ ejusdem legionis in Moguntiaco testes eo certiores, quod non militem unum, sed centurias legionis integras produunt, quibus in hybernis suis a se invicem discernendis lapides isti veluti indices positi fuisse videntur. En typum eorum:

1.



2.



Primo

(b) Ibid. pag. cxxx, 6.

Primo titulo LEGIONIS I ADIVTRICIS 7 (centuria) LUCII FLAVII PVDENTIS celebratur, altero LEGIONIS I ADIVTRICIS 7 (centuria) DECII IVNI VERECVNDI

Addimus tertium ex Maffejo (c)

LEG. I. ADIVTR.

7 DOMITI
PRISCI

qui vidit olim atque exscripsit. Nescio an quartum addere debeam, ab Huttichio (d) Apiano & Grutero proditum hoc modo:


LEG. I. ADI.
SEIONI. VERE.

Vix enim dubito, quin idem sit cum nostro-secundo, qui ab Huttichio male expressus, quemadmodum in aliis multis, quas ille publicavit, epigraphis Moguntinis peccatum gravissime. Similes lapides, Legionis XXII. PR. P.F & centurionum quorundam ejus, omisso tamen, quod alias sæpius factum, centuriæ signo 7, idem Huttichius, antiquitatum harum patriæ suæ primus conquisitor, nobis servavit.

DE-

(c) *Mus. Veron.* p. CCCCLI, n. 7.

(d) *Collect. antiq. Mogunt.* fol. 13. b.



I KUNI
GESUN
DRA
PARS

WORMATIA

GOVIA

LOBODEN
GOVIA
PARS

PAGI RHENENSIS

*Qualis sub Carolingis maxime regibus fuit,
Descriptio.*

Auctor

ANDREAS LAMEJUS.

§. I.

PAGUM Lobodunensem, quem olim descripsimus, (e) ad septentrionem excipit Rinenfis sive Rhenensis, *Rinahgowe, Rimcogowe, Rinichgowe* vernacule olim dictus. A pago hoc Rhenensi superiore, qui nomen amisit, discernendus probe est inferior, vini sui præstantia notissimus, qui Rhingoviæ vocabulum adhuc retinet. Medius inter utrumque pagus fuit Kuni-
gefundra, ad quem Biburc, Mosbach, Wisbaden, Massen-
heim pertinuerunt. *Pagi superioris Rinins* expressa mentio in charta Traditionum Fuld. a. 802. (f)

Præter duos hos in medio Rheni cursu pagos Rhenenses, alii duo prope fontes, alii ad ostia Rheni fuerunt. Prope fontes, in Rhætia Curiensi, alter pagus Rhenensis *Rheinwald*, silva Rhenensis, alter *Rheinthal*, vallis Rhenensis, etiamnum dicitur. Posterior utramque Rheni ripam occupat supra lacum Bodamicum. Abbatiam S. Galli in pago *Ringewe* charta a. 891 (g) diferte collocat. Versus ostia Rheni alter pagus Rhenensis

Tom. II.

V

ad

(e) *Act. acad.* tom. I, p. 215 sqq.

(f) *Schannat corpus tradit. Fuld.* num. 156.

(g) *Herrgott geneal. Habsburg.* tom. II, num. 95.

ad sinistram fluminis, alter ad dextram fuit. Testamentum S. Willibrordi episcopi pro Epternacensi pagi Bedensis monasterio Antverpum castellum super fluvio Schaldeo *in pago Rhenensium* commemorat. (h) Hic ad sinistram. Ad dextram vero *Rhenolandia*, cujus urbs primaria, Lugdunum Batavorum, hodieque innotescit.

Missis reliquis Rheni pagis nos proximum nobis nunc per-
lustrabimus, fontes & ordinem secuturi eosdem, quos in Lobo-
dunensi ac Wornat. secuti sumus. Nullum hic oppidum, ca-
strum nullum, præter palatium regium Triburiense, at mona-
sterium dignitate & divitiis suis celebratissimum, villæque regię
plures, actis totius regni Germanię rebus inclytæ.

§. II.

Loca inter pagum Lobodunensem, Rhenum fluvium & amnem
pagum Lob. Wisgoz (*Weschniz*) Rhenigovię nostrę accensenda sunt:
Rhenum & Wisgoz. LAURESHAM. In chartis Laureshamensibus ævi Carolingici,
nuper in lucem editis, (i) regnat formula: „ monasterium,
„ quod vocatur Lauresham, in pago Rinenfi, super fluvium
„ Wiffcoz situm. „ Fallunt, quę in pago Lobodunensi collo-
cant. (k) Dicitur quoque monasterium Lauresham constructum
in honorem S. Nazarii martyris super fluvium Wiffcoz in fine
Biffstat, in pago Rinenfi. (l) De Biffstadio mox infra. *Ham*
pro *heim* est terminatio Anglo-saxonica. Latine *Lorissa*, *Lau-*
rissa, *Laureffa*, *Lorfa* passim, Teutonice rarius *Laurisheim* scri-
beba-

(h) *Calmet hist. de Lorraine* tom. II, probat. col. 93.

(i) *Codex principis olim Lauresh. abbatias diplom.* III voll. 1768.

(k) Qua de re vid. tom. I, pag. 235.

(l) *Cod. Laur. dipl.* tom. I, n. 461, 603.

bebatur. Wachterus (m) monasterium S. Laurentii interpretatur, male. Nam SS. Petro & Nazario dicatus fuit locus, non Laurentio.

ALDENMUNSTER, Latine *vetus monasterium*, (n) primitiva ecclesie Lauresh. mater, S. Petro dicata, (o) dein prepositura pendens a filia, nomen suum cum infula, in qua situm fuit, communicavit. Omnia nunc solo æquata. Paucis abhinc annis reperti ibi sunt nummi argentei, in quibus CARLUS REX FR. una parte, altera METULLO cum monogrammate Karoli.

BISISTAT, in cujus finibus Laurisham. abbatia collocatur, unus idemque locus est cum

BIRSTAT, a quo Codex Lauresh. traditionum abbatie huic a privatis hominibus factarum ducit initium. (p) Turinebertus mansum proprium ad claustrum faciendum circa S. Nazarium cum dono daret, anno XVI Pipini regis, in *Birflather* marca simul mansum unum, pratum & jurnales sex; triennioque post in pago Rinensi in villa, quæ dicitur *Birflatt*, medietatem mansi pro anima Ruotperti filii sui, teste Heimerico Comite, tradidit. Cancor comes & uxor ejus Angila terram & sylvam in marca *Birflatt*, Carolo atque Carlomanno regibus, contulerunt; cujus donationis literis præfixus est titulus: donatio Cancronis de *Birflatt* & termino ipsius sylvæ. (q) Annales Fuldenses Ludovicum regem dies Lætaniarum & pentecostes in villa *Birflatt* cele-

V 2

cele-

(m) *Glossar. Germ. voce Heim.*

(n) *Cod. Laur. diplom. tom. 1, n. 164.*

(o) *Ibid. n. 131.*

(p) *Vol. 1, pag. 284.*

(q) *Ibid. pag. 23, n. 10.*

celebrasse scribunt (r) *prope Wormacense*, id est, pagum Wormatiensem, uti ex alio horum annalium loco ad an. 878 liquet, ubi de villa *in Wormacense* haud procul a palatio Ingileheim fermo est. Birstadium autem a Wormatia & pago ejus nonnisi Rhenus disjungit. Ditmarus *Wesensat* ad a. 984, Annalista Saxo *Biffinsida* & corruptius *Biffintide* (s) locum actis regni negotiis clarum designant. Sunt, qui Weistadium in Culmbacensi Franconiæ marchionatu huc trahunt. (t) Suadent autem plura, ut de Bifistadio aut Birstadio nostro ad Rhenum interpretemur. Sanctitas & celebritas monasterii Laureshamensis movit reges & principes, ut lubentissime ad illud accederent. Ne monachis autem justo graviores essent, in proximis ei locis tentoria sua fixerunt. Laureshamenses cum Birstadiensibus hodieque una eademque marca comprehenduntur. Hæc dum scribimus, *Wesistat* seu *Wafistat*, pagi WORMAT. villam, quam inter loca situ incerta retulimus, (u) hodiernum Wœrstadium esse, inter Salusiam & Wizam fluvios situm, nulli dubitamus.

BABESTAT. Post Eufemiam, sororem suam, Henricus comes, quidquid ipsi parentes in *Rinahgowe* in villa vel in marca, quæ dicitur *Babestat*, morientes reliquerant, Laurishamensibus donavit, an. xiv. Karoli regis. (x)

HOFUN. Ecclesiam in villa *Hofun*, in pago *superiori Rininse*, Waluramus quidam a. 802 Fuldensi abbatiæ donavit. (y) Alibi
Hove-

(r) Ad an. DCCCLXX.

(s) In *Eccardi scriptor rer. Germ.* tom. 2, col. 342 & 344.

(t) *Gebhardi historisch-geneal. abhandlungen* part. 1, p. 140.

(u) *Act. acad.* tom. 1, p. 284.

(x) *Cod. Laur. dipl.* tom. 1, n. 178.

(y) *Corp. tradit. Fuld.* num. 156.

Hoveheim (z) & in registro sedis ruralis *Bensheim Hoiffen prope Warmaciam* (a) scribitur, ut ab aliis hujus nominis locis, quorum unus infra occurrit, distinguatur.

WATTINHEIM. Prædia sua & ecclesiās in villis *Bibifloz & Watinheim* in pago Renense, super fluvium Wisgoz, nec non villam *Zullestein*, in ripa fluminis Rheni cum portu, Ludovicus Germ. rex illustri comiti Werinhario, anno regni sui tertio, triennioque post Werinherus abbatix Lauresh. dedit, ea lege, ut eadem bona, (b) quoad vixerit, retineret.

ZULLESTEIN modo commemoratum, hod. *Stein*, in traditione Nandolfi & conjugis ejus Geilæ, a. xxxviii Karoli M. *Zullestein* scribitur. (c) Otto III rex Germ. in loco *Steine* mercatum esse concessit. (d)

Addimus hic ex pago Lobodunensi vicum, qui in ejus descriptione omissus est, Birstadio vicinum

LANGOBARDONHEIM, hod. *Lampertheim*, diplomatibus quidem nostris ignotum, at in Annalibus celebratum antiquis, Bertinianis atque Saxonis. Illi Ludovicum Germ. *juxta Wormatiam* in villa, quæ vocatur *Langbardheim*, contra patrem suum, Ludovicum imp. Maguntix primum, dein circa Triburim villam castra metatum, cum exercitu suo resedisse, hi conjurationem fecisse apud *Langobardonheim* ad an. 832 scribunt. (e) Locus

V 3

in

(z) In diplomate Henrici II imp. a. 1012, ap. *Schannat hist. Worm.* tom. 2, p. 41.

(a) *Steph. Alexandri Würdtwein Dioecesis Mogunt. in archidiaconatus distincta* comment. III, pag. 422.

(b) *Cod. Laur. diplom.* tom. 1, n. 26 fq.

(c) *Ibid.* n. 179.

(d) *Ibid.* p. 141, n. 84.

(e) *Eccardi scriptor. rer. Germ.* tom. 2, col. 190.

in ampla planitie, Rhenum inter & silvam, unica supra Wormaliam leuca, positus. Ad Wormaliensem dioecesim cum spectet, Lobodunensi, non Rhenensi, pago adscribendum esse novimus.

§. III.

In montanis

Inter eundem pagum Lobod. & Wisgoz fluvium in montanis retro Winhemium sunt

ZOZUNBACH, in Luitharii charta donationis an. 877 cum Winenheim, Birchenowa, Ruzondum, Lieberesbach atque

RINTBACH commemoratum (f) hod. *Rimbach*, quod in villis ad Wisgoz sitis secundo loco nominatur, (g) ante

MORLENBACH, hod. *Merlenbach*. Habemus notitiam hubarum abbatiae Lauresh. in *Morlebach*. (h)

§. IV.

Inter Wisgoz & Suarzaha.

• Inter Wisgoz & Suarzaham rivulum, cujus in traditionibus Lauresham. obvia mentio

FURDE. Henricus II imp. monasterio Abrinsbergensi possessionem hujus loci an. 1023 confirmavit. (i) Extat descriptio hubarum & pensionum ad curiam Furde pertinentium. (k) Inter villas, juxta decursum fluvii Wisgoz sitas, *Furte* primo loco ponitur. (l)

LIEBE-

(f) *Cod. Laur.* tom. I, n. 40, p. 79.

(g) *Ibid.* pag. 17.

(h) *Ibid.* tom. III, n. 3663.

(i) *Cod. Laur.* tom. I, n. 137, p. 213.

(k) *Ibid.* n. 140, p. 217.

(l) *Ibid.* pag. 17.

LIEBERESBACH cum Winenheim , Birchenowa &c. Liutharius dynasta an. 877, (m) dein sub Conrado I rege Adelbero , episcopus Augustanus , cum iisdem aliisque locis (n) a monasterio Laurisham. ad dies vitæ possidendum susceperunt.

SULZBACH in Henrici IV imp. diplomate de statu & possessionibus monasterii Aldenmunster commemoratur post Basinesheim & Hephenheim an. 1071. (o)

HEMMINGESBACH hod. *Hemsbach* , ab Ottone M. in pago *Rinecgo* , in comitatu Udonis comitis ponitur an. 948. (p) Alibi *Heimingesbach* scribitur. (q) Fontem *Heiminisbach* , unde villæ fortassis nomen , Anshelmus abbas Laur. a. 1094 commemorat. (r)

LUTERBACH. Anno v Karoli M. Lampertus , filius Hado- nis, cum matre sua rem omnem in Basinsheim, exceptis duobus propriis , quorum unus super rivum Lutra , alter ad *Lut- terbach* , S. Nazario tradidit. (s) Post Hemmingisbach inter vil- las prope Wisgoz fl. fitas *Lutenbach* recensetur. (t)

HEPHENHEIM villam , in pago Renense sitam , quam We- genlenzo & filius ejus , Warinus comes , posteaque Bougolfus comes a rege tenuerant , una cum ecclesia & amplissima silva
Caro-

(m) *Cod. Laur. dipl.* tom. I, n. 40, p. 79.

(n) *Ibid.* num. 53, p. 98.

(o) *Ibid.* num. 132, p. 195.

(p) *Ibid.* num. 67, pag. 117.

(q) *Ibid.* tom. III, n. 3669, p. 206.

(r) *Ibid.* tom. I, n. 134, p. 208.

(s) *Ibid.* num. 251.

(t) *Ibid.* pag. 17.

Carolus M. anno regni sui quinto S. Nazario tradidit. (u) Ad basilicam S. Petri, quæ constructa est in villa *Hepphenheim*, Marcharius quidam portionem suam in villa *Winenheim* donaverat anno tertio Pipini regis, patris Caroli M. (x) Terminos hujus ecclesiæ a Carolo M. descriptos exhibet lapis seculi XII, in navi olim, nunc ad introitum templi conspicuus, cujus verba Freherus (y) olim atque nuperrime R. Würdtwein (z) retulerunt, neuter ad autographi fidem, quod & ipsam imperita tinctoris recentioris manu corruptum est. In Henrici II imp. diplomate Wormat. an. 1012 *Epfenheim* scribitur. (a) Ceterum locus hic in strata montana Laureshamensis olim, nunc Moguntinæ ditionis, primarius est omnium, in civilibus saltem rebus, in ecclesiasticis Benshemium.

HEIMBACH duplex vicus est, superior & inferior, hod. *Hambach* dictus, cujus mentio fit in oblationibus fidelium in *Hepphenheim* factis. (b)

CELLA. Billungus vir nobilis sub Conrado III rege, medio sec. XII, ecclesiam in vico Cella S. Nazario dedit. (c) Alibi *Cellen*, (d) hod. *Zell* scribitur.

§. V.

(u) *Cod. Laur.* num. 6. pag. 15 sq.

(x) *Ibid.* num. 429.

(y) *Orig. Palat.* part. 1, p. 49.

(z) *Dioec. Mog. in archidiaconatus descr.* tom. 1, p. 470.

(a) *Schannat hist. episc. Worm.* tom. 11, p. 39.

(b) *Cod. Laur.* tom. 111, n. 3813, pag. 292.

(c) *Ibid.* tom. 1, n. 154.

(d) *Ibid.* tom. 111, pag. 288 & 303.

§. V.

Inter Suarzaham , Wisgoz , Rhenum & Luitram , quam *Ziegelbach* designat : Inter Wisgoz & Luitram.

BASINSHEIM. Anno XIV Pippini regis Stalus Liutheri filius vineam in *Bafinsheim* super fluvium *Luitra* ; (e) octennio post Altramnus presbyter cum germano suo Autberto in pago Rinensi , in *Bafinsheim* super rivulo *Liutra* , mansos , campos & basilicam in honore S. Mich. constructam ; (f) in eadem marca Stahal cum matre sua Massa bifangum juxta *Suarzaha* in loco , qui vocatur *Foroenbibilox* , an. XXI Karoli regis , (g) alium bivangum vel haltunga in *Bafinsheimer* marca , cui ab oriente *Suarzaha* fluvius , a meridie *Hepphenheimere* terminus fuit , eadem Massa cum filiis suis tradiderunt. (h) Riphwinus , cum rege Carolo An. 793 in Longobardiam profecturus , omnem rem suam in *Bafinsheim* Gifelhelmo fratri commendavit , ut si in expeditione hac periret , monasterio S. Nazarii traderetur. Ex *Bafinsheim* prognatum est *Befensheim* , & hoc denique contractum in *Bensheim*.

SUAINHEIM , hod. *Schwanheim* , ditionis Hasso-Darmstadiensis vicus. Gerbertus & Lobuduna conjuges S. Nazario dederunt mansum in *Rinahgowe* in villa Suainheim , an. XIII Pippini regis. Actum in Loboduna civitate publica. (i) Scribitur etiam *Suenheim* & *Sueinheim* in charta , qua judicatum in publico Karoli M. placito legitur , villam hanc ad *Hurfeldun* mar-

Tom. II.

X

cam

(e) *Cod. Lawr. dipl.* tom. I, n. 234.

(f) *Ibid.* n. 248.

(g) *Ibid.* n. 244.

(h) *Ibid.* n. 245.

(i) *Ibid.* num. 226.

cam pertinere , quam idem Karolus monasterio Lauresh. donaverat. (k) De Hurfeldo inter loca situ incerta inferius dicitur. Aliud Schwanhemium est in sinistra Moeni ripa situm , inter Francofurtum atque Moguntiam , quod Frid. Carolus Buri (l) in Freherianis ex Laureshamensi nostro codice excerptis sub nomine Sueinheim sese reperisse putavit.

HUSUN hod. *Hausen* , duplex vicus , major & minor , interfluente Wisgoz. Gailrada quædam rem suam in *Bafinsheimer* marcha , in villa , quæ dicitur *Hufun* , quæ sita est super fluvium *Wiffoz* , an. xvi Pipini regis S. Nazario obtulit. (m) Marcam tamen peculiarem *Hufun* habet charta traditionis Geroldi an. xii Caroli regis. (n)

BIBIFLOZ paulo supra in Wattinheim recensitum , alias *Bibeloz* , *Bibiloz* dictum , hodie *Biblis*.

RORHEIM. Icha Deo sacrata rem suam in pago Rinensi , in Rorheim , an. 783 S. Nazario donavit ; (o) idemque eodem anno fecit Eberholdus in pago Renensi , in *Raurheim*. (p) In *Rara* & *Wesenstat* multa regni sub Ottone III puero negotia peracta Ditmarus ad an. 984 refert. (q) Rorhemium nostrum intelligi , interpretes recte conjiciunt. Superest adhuc area cum fossa , ubi palatium cæsareum extitisse rustici narrant. Sunt autem nunc duo *Rorheim* , majus & minus , illud Hasso-Darmstadiensis juris , hoc Moguntini. Nobis de majore hic sermo est.

§. VII.

(k) *Cod. Laur.* num. 228.

(l) *Behauptete vorrechte derer alten Koenigl. Bannforste pag. 23.*

(m) *Cod. Laur. dipl.* tom. I, n. 238.

(n) *Ibid.* num. 229.

(o) *Ibid.* n. 180.

(p) *Ibid.* tom. II, n. 1860.

(q) *Conf. Bisstat §. II, pag. 156.*

§. VI.

Inter Luitram & Mutdaham (*Modau*) a montanis ad Rhe-
num ex tabulis antiquis producimus

Inter Luitram & Mutdaham.

• URBACH, hod. *Aurbach*, quod inter loca, ad Wisgoz fluvium sita, post Besinsheim recensetur, (r) forte quod ager ejus usque ad Wisgoz productus tum fuit.

BEDDENKIRCHA villam, quam Bruningus abbas Laurish. sub Conrado II imp. acquisivit, teste Chronico. (s) Alibi *Bettenkircha* & *Bettenkircha* scribitur. (t)

ALTDOLFESBACH. Altramnus presbyter eidem monasterio donavit beneficium suum in Altdolfesbach, & quidquid in silva adjacenti conlaborare aut stirpare vel ædificare potuerit. Testis Heimiricus comes. Actum anno XI. Caroli regis. In descriptione marcæ Hephenheim dicitur *Aldolvesbach* (u) hod. *Alsbach*.

BICCHUMBACH, hod. *Bickenbach*. In pago Renense ad *Seheim* & *Bicchumbach* res proprietatis suæ Ludovicus Germ. anno XXXVII regni sui in orientali Francia S. Nazario largitus est. Actum Lobotenburc. (x)

SEHEIM. Liutherus diaconus in pago *Rinechgowe* in marcha ad villam Seheim pertinente quatuor mansos sub Ottone M. accepit, traditis vicissim abbatizæ Laurish. mansis novem. (y)

LANGWATA inter terminos silvæ ad Hephenheim pertinetis

X 2

tis

(r) *Cod. Laur.* pag. 17.

(s) *Ibid.* p. 171.

(t) *Ibid.* n. 93, p. 155 & n. 132, p. 195.

(u) *Ibid.* n. 68.

(x) *Ibid.* n. 38.

(y) *Ibid.* num. 68.

tis ponitur. (z) Ad hubas de Gernesheim jurnales nonaginta in *Lancquada* pertinebant ex notitia veteri bonorum Laurishamensium. (a)

KERINESHEIM Carolus Crassus inter villas suas indomincatas cum Tribura, Franconofurt &c. refert a. 888. (b) Successor ejus, Arnolfus rex, diploma monasterio Werthinensi super fluvium Rura dedit in *Gereneshem curte regia*. Sub Ludovico rege, Arnolfi filio, ecclesiam cum decimatione in pago Renensi in villa *Gernersheim*, & quidquid in *Wasumbifloz* habuit, Luitfridus comes abbatiz Laur. donavit. (c) Sub Conrado I, Ludovici successore, Adalbero, August. episcopus, omnia sua in *Kerenesheim* post obitum suum ejusdem abbatiz esse voluit. (d) Notissima hæc Petri Schoifferi, perfecta typographica arte celebris, patria, *Gernsheim* nunc dicta.

FRENKENVELT vicus in termino villæ *Gernesheim* situs occurrit in charta Henrici abbatis Laur. an. 1166. (e) Fundus loci hujus destructi infra Gernsheim, ad Erbacensem in Rhingovia inferiore abbatiam nunc pertinens, pristinum retinet nomen. Freherus atque Besselius a Rheno discedentes ad castrum Franckenstein, quod supra Eberstadium est, falso retulerunt.

BUBENESHEIM, ubi Walcun hubam, aliamque Wernherus Laurishamensi dederunt monasterio, (f) nunc *Biebesheim* scribitur.

Lo

(z) *Cod. Laur.* pag. 16.

(a) *Ibid.* tom. III, n. 3671, pag. 209.

(b) *Hontheim hist. Trevir. diplom.* tom. I, p. 219.

(c) *Cod. Laur. dipl.* tom. II, n. 2720.

(d) *Ibid.* tom. I, num. 53, p. 97.

(e) *Num.* 161, pag. 268.

(f) *Ibid.* tom. III, n. 3828.

LOCHEIM. Anno tertio Caroli M. Bernharius in pago Rinensi, in villa, quæ dicitur *Locheim*, pratum ad fluvium Rhenum; (g) anno XXI ejusdem regni Fricko & Eberwin rem Waldolfi in *Elimaresbach & Locheim*; (h) anno XXIV Brunicho, Emicho & Heribertus mansum & decem jurnales in *superiori Locheim* (i) tradiderunt. Lupoldus, Moguntinæ sedis electus archiepiscopus & episc. Wormat. an. 1208 abbati Schonaugiensi permisit faciendi de ecclesia in Locheim, quidquid voluerit, diruendi videlicet, & in loco ejus curiam aut quidquid ei placuerit ædificandi. Periit itaque vicus, cujus memoria superest in agro Biebesheimensi, ubi campus jacet satis amplus, qui nomen *uff Locheim* in ore vulgi adhuc retinet.

§. VII

Mutdaham inter & rivulum Darmstadiensem, cujus anti-InterMuta-
quum & proprium nomen ignoratur, perlustranda nobis sunt ham &
EBERSTAT, ubi Waltherus & Suilliswinda conjuges rem Darmstad.
rivulum.

suam in pago Rinensi Laurishamensibus tradiderunt an. XIV Caroli regis. (k) Infra in Conrado comite *Heberstat* scribitur, *Herbestat* in Henrici II regis diplomate Wormat. 1002. (l)

BEZCINGEN, hod. *Bessingen*, quod post Heriveldon, Bibiloz & Otterestat inter banni regii, ecclesiæ Worm. ab Henrico II rege a. 1002 concessi, terminos nuncupatur, (m) vicus jam tum insignis, qui ecclesiam suam habuit.

X 3

PHUN-

(g) *Cod. Laur.* tom. I, n. 187.

(h) *Ibid.* n. 186.

(i) *Ibid.* n. 191.

(k) *Ibid.* num. 230.

(l) *Schannat hist. Worm.* tom. 2, p. 34.

(m) *Ibidem.*

PHUNGESTAT in pago Rinenfi cum octo manfis & hubis ad manfos pertinentibus in traditione Werinheri an. xvii Karoli M. (n) Udilhohus bifangum *Geroldeshufa* in *Phungesterero marcha*, cui ab oriente fuit locus *Ginnesloch*, a meridie *Surbuoch*, ab occidente *Steinfurt*, anno xvi Ludovici Pii imp. S. Nazario donavit. (o)

HASALAHE. Zeizonis & conjugis ejus Helmswindæ traditio an. xxxvi Caroli M. facta manfum cum molendino juxta fluvium *Mutdaha* & *Wilarem* juxta *Phungestat*, qui dicitur *Hasalahe*, prodit. (p) Inter Pfungstadium atque Grieshemium fundus *Hafelacker* dictus loci hujus destructi situm indicat.

WASUNBIFLOZ, hod. *Wasserbiblis*. Hatto archiep. Mog. & abbas Laur. facta cum Luitfrido comite permutatione bonorum, in pago Renensi in villa Gernesheim ecclesiam cum decimatione & quidquid in Wafunbifloz is habuerat, accepit, an. ix Ludovici regis Infantis. (q) Alibi *Bibiloz juxta Otterstat* & *Bibiloz inferior*, (r) distinctum a superiore, de quo superius, alibi *Wassenbibiloz* (s) scribitur.

HOVA. Gunthramnus comes proprietatem suam in villula vocabulo Hova, quæ est in pago Rininse, in terminis *Gotalohono*, Fuldenfi abbatizæ donavit anno xxi Ludovici Pii imp. (t) Biennio post in alia Guntramni hujus charta Fuldenfi villa Hova infra terminos *Gotalohono* in pago *Hrinahgowe* legitur. (u) In

(n) *Cod. Laur. diplom.* tom. 1, n. 214.

(o) *Ibid.* num. 217,

(p) *Ibid.* n. 216.

(q) *Tom. II*, num. 2720.

(r) *Tom. I*, num. 213.

(s) *Tom. III*, num. 3671, pag. 209.

(t) *Schannat corp. tradit. Fuld.* num. 407.

(u) In villa hac xenodochium provinciale a Philippo magnanimo extructum est, unde nunc *Hospitalhof* dicitur.

GOTALOHONO modo commemoratum hodie *Godelan* dicitur.

ERIFELD, *Erinfeld*, *Erifeldon* & *Erifeldun* promiscue sub Carolo M. scribitur villa pagi Rinensis, (x) hoc suo nomine ad Rhenum adhuc insignis. Fuldenses chartæ, a Schannato editæ, *Herifeldum* & *Eriveldon* habent.

LEHEIM villam & *Leheimero* marcam in pago Rinensi sex traditiones Laureshamenses sub Carolo M. produnt. (y)

BUOSINESHEIM. Urendil & Egina conjuges rem suam in pago Rinensi, in villa, quæ dicitur *Buosinesheim*, nec non in *Leheim*, quidquid habuerunt, anno XIV Caroli M. (z) Folcradus autem in *Buosinesheim*, *Oppenheim* &c. vineas suas an. XVII Ludovici imp. (a) Gundolfus & Hildrat conjuges ibidem atque in *Dinenheim* bona sua an. XXXIII Ludovici Germ. regis (b) S. Nazario contulerunt. In tradit. Fuld. *Buofanheim* scribitur. (c) Freherus atque Besselius locum hunc cum *Bafinsheim* miscuerunt, tum propter similitudinem nominis, tum forte, quod in ordine traditionum codicis Lauresham. Bafinshemio succedit Buosinesheim, nullo alio intermedio. Distinguenda tamen esse duo hæc loca a se invicem, ex codice illo ipso discimus, qui probe distinguit, locaque cum Buosinesheim con-

jun-

(u) *Schannat* l. c. num. 412.

(x) *Cod. Laur. diplom.* tom. I, n. 198, 205 sqq.

(y) *Ibid.* num. 200-211, 268.

(z) *Ibid.* n. 268.

(a) *Ibid.* num. 270.

(b) *Ibid.* num. 272.

(c) *Schannat, trad. Fuld.* n. 221.

jungit a Bafinshemio longe remota. Quærentibus nobis Buchnerus, Landgravii Hasso-Darmstad. a consiliis & tabulario, vir humanissimus, respondit, prope Leheim villam superesse *Bünsheim*, corrupte *Bensheimer hof* dictam, quæ ad monasterium Erbacense pertineat. Sic præclare conspirant omnia, nomen, situs prope Leheim & loca proxima trans Rhenum. *Bünsheim* seculo XIV jam vocari, in Pfüpfenhemio mox videbimus.

PHUPFENHEIM cum Elimaresbach & Herifeldum in pago *Rinahgowe* ponit traditio Fuldenfis anni incerti. (d) In donationis quadam Cancronis comitis charta legitur: *Actum in villa Popphenheim* anno XIV Karoli regis. (e) Medio sec. XIII milites de Wolfskehl comeciam in tredecim villis pagi Rhenensis, in quibus *Bubensheim*, *Pfopfenheim* & *Erevelt*, ecclesie Moguntinæ vendiderunt. (f) An. 1317 feria tertia post Palmas Ulrichus de Bickenbach cum uxore sua Elisabetha, consensu virorum nobilium, Godefridi & Cunradi de Bickenbach, consanguineorum suorum, strenuo militi Wigando de Dinheim univërfa bona sua apud *Poppenheim*, *Bünsheim* & *Erfelden* villas & earundem terminos sita, in hominibus, decimis, jurisdictionibus, proventibus &c. quæ omnia a progenitoribus suis hereditario & proprio jure acceperat, vendidit. Abstulit postea Pfüpfenhemium Rhenus & colonos ejus Erfeldam migrare coegit.

CAMBEN. Ludovicus Germ. anno regni sui XXXIII res proprietatis suæ consistentes in *Francia*, in pago qui vocatur *Rinechgowe*, in villa, quæ dicitur *Camben*, Laurishamensi abbatiæ donavit. (g) Ad villam *Kamba* Hermannus Contr. Contra-

(d) *Schannat. trad. Fuld.* n. 164.

(e) *Cod. Laur.* tom. II, n. 1522.

(f) *Guden. cod. dipl.* tom. I, pag. 625.

(g) *Cod. Laur. diplom.* tom. I, n. 36.

radum Salicum a. 1024 electum regem esse prescribit. Wippo in Conradi Sal. vita situm loci ita describit: „ Inter Moguntiae con- „ finia & Wormatiæ locus est amplitudine planicie causa mul- „ titudinis maximæ receptibilis, ex insularum recessu ad se- „ cretas res tractandas tutus & habilis. „ Perit Kamba vicus, quem ut ad villam e regione Oppenheimii sitam & a possessori- bus nunc suis *Schrautenbacher hof* dictam reponamus, omnia nos movent. Conveniunt enim egregie tum verba Wipponis, tum verum nomen ejus *Cammerhof & Cammerfeld*, docente me, cui plurima debeo, Ludovico Gottlieb Buchnero, senio pariter & doctrina venerando.

GEMMINESHEIM villam pagi Rinensis quatuor traditiones Laresh. sub Pipino & Carolo M. regibus habent. (h) Vicum *Geinsheim* e regione Oppenheimii, distinguendum a *Ginsheim* prope Moguntiam, huc referimus.

§. VIII.

Inter Darmstadiensem rivulum & Ruzzebacum, cui prope <sup>InterDarm-
stad.&Ruz-
zebach.</sup> Triburiam Schwarzbaçi nomen imponitur,

DARMUNDESTAT, caput principatus, ex necrologio anti- quissimo nobis innotescit, ubi Sigeboto comes ecclesie Mogunt. quinque solidos heic loci donasse traditur. (i)

WIDERESTAT, hod. *Weiterstadt*. Otto M. rex Germ. a Liu- thario quodam clerico, facta bonorum permutatione, accepit, quidquid in villa Widerestat habuit & in Hirezbach, an. 948. (k)

Tom. II.

Y

OTTR-

(h) Ibid. n. 194-97.

(i) *Schannat vind. lit. collect.* 1, pag. 2.

(k) *Cod. Laur. dipl. tom.* 1, n. 67.

OTTERESTAT. Mannelinus presbyter tres curtes, hubasque duas in Bibiloz juxta *Otterdstat* tradidit. (1) *Otterestat* & *Bezcingen* post *Heriveldon* & *Bibiloz* inter banni regii supra dicti (m) terminos recensentur. Perit hic locus, agro ejus in *Buttelbornensi*, cum quo coaluit, pristinum nomen servante. Imo & via *Otterstadiensis* adhuc remanet, *Bessingam* versus.

THORNHEIM. Uda Deo sacrata rem suam in pago *Rinahgowe*, in locis nuncupatis *Thornheim*, *Elimaresbach* & *Erfeldon*, quidquid parentes *Theutacar* & *Freiheida*, & soror *Folcheith*, ipsi reliquerant, anno xi Karoli M. *Laureshamensibus* obtulit. (n) Eundem hunc locum in pago *Rinahgowe* collocat traditio *Fuldensis* an. 818.

GERAW in pago superiore *Rinicgowe*, in comitatu *Adelberti* comitis, *Henrici* xi imp. diploma an. 1013 habet, quo episcopus *Herbipolitanus* villam hanc cum ecclesia & decimis dono accepit. (o) Episcopus deinceps *Geraviam*, majorem & minorem, *Cattimelibocensi* comitum familiae in feudum dedit, uti in *Hurfeldum* infra dicitur.

§. IX.

Inter Ruzzeb. & Moenum.

Inter *Ruzzebacum* denique sive *Schwarzbacum* & *Moenum* notanda nobis superfun

LANGUNGON, hod. *Langen*, quam villam in pago *Renense* cum ecclesia loci *Ludovicus Germ.* anno regni sui primo *Lauresha-*

(1) *Ibid.* num. 213.

(m) *Pag.* 165, §. vii.

(n) *Cod. Laur.* tom. i, n. 198.

(o) *Friss hist. episc. Wirzburg* in *Ludwigii scriptor. Wirzb.* pag. 457.

reshamenfi coenobio contulit. (p) Notitiam hubarum ad villam hanc *Langunga* sec. IX pertinentium Freherus (q) edidit.

SPRENDILINGUN, SWEINHEIM, GELSTREBACH, BISCOFESHEIM, villas in hoc, quem diximus, pagi Rhenerfis ambitu fitas, sine pagi mentione Carolus Craffus in diplomate an. 882 commemorat, quæ ecclefias earum cum manfis & decimatione S. Bartholomæo Francofurti donavit. (r) Donationem iftam confirmarunt deinceps Ottones imperatores, primus atque fecundus, an. 970 & 977. (s) *Spirendilinger* marca in laudata modo hubarum ad Langunge pertinentium notitia quæque legitur, cum nomine *Drieich*, filvæ regiæ, quæ ambitu fuo vicos fupra pofitos continet, præftantiffimo commentario Frid. Caroli Buri noftra ætate illustrata. (t)

TRIBURIS curtem in *Frantia* & in pago *Rinichgowe* ac comitatu Cononis ducis fitam, cum omnibus villis, vicis, mancipiis, ecclefiis &c. eo fpeftantibus, de proprietate fua Otto III imp. Adelheidis aviæ inductus precibus, amitæ fuæ Mathildæ, Abbatiffæ Quedlinburgenfi, an. 985 donavit. (u) In Lareshamenfibus noftris *Tribur* fimpliciter, *Triburen* & *Triburia* fcribitur, locus palatio regio, multisque in regno & ecclefia

Y 2

clefia

(p) *Cod. Laur.* tom. I, n. 25. *Helwicus antiqq. Laurish.* pag. 25 rem iftam ad Ludovicum Pium, Germanici patrem, retulit.

(q) *Orig. Palat.* part. I, pag. 50. Extat quoque in *Cod. Laur.* tom. III, p. 271.

(r) *Guden. cod. diplom.* tom. I, p. 2.

(s) *Buri Bannforfte, bejonders zu der Drey-Eich*, in *Docum. num.* 38 & 37.

(t) *Lib. cit.* qui Francofurti prodiit an. 1744.

(u) Diploma in *Kettneri antiqq. Quedlinburg.* pag. 26, & ad autographi fidem emendatum in *Erathi cod. diplom. Quedlinburg.* pag. 22.

clesia rebus a Ludovici Pii regno ibidem gestis celeberrimus, de quo plura collegit Godofredus Besselius, Gottwicensis abbas. Aliam regii juris curtem *Triburi* nomine, in pago Saxonico Westfala sitam, in comitatu Herimanni comitis, Henricus II imp. Ottonis III successor, abbatiae Paderbronn. a Meinwerco episcopo fundatae, tradidit. (x)

§. X.

Loca pagi **Haftenus** loca pagi Rhenensis certa, cum residua adhuc tum
situ incerta. vicissitudine temporum extincta, suo quodam situs ordine. Subsequuntur nunc alia quaedam omnino deperdita, quae pago quidem nostro insita fuisse novi, at situm definire propius non amsim.

ADDALAHANG, Adalae clivus. Uda quaedam Deo sacrata petiolam vineae in pago Rinenfi, in loco nuncupato *Addalahang*, anno IV Karoli M. ad S. Nazarium tradidit. (y)

AUUA. Erlulfus praeter bona varia in pago Wornat. & in Moingovia dedit quoque Lareshamensi abbatiae, quidquid in pago Renenfi, in *Auua* & in *Rohrheim* habuerat, an. XXIII Karoli regis. (z) Inter ecclesiae Bickenbacensis filias cum *Seheim* & *Altspach* referebatur *Auen* sec. XV. (a) Unde locum hunc Bickenbaco & *Seheimio* vicinum fuisse crederes. Superesse fundum inter ambos istos vicos, ad ipsam stratam montanam, qui *in der Auen* dicatur, Buchnerus supra laudatus ad me perscripsit.

BET-

(x) Vita Meinwerco episc. Paderbr. in *Leibnitii script. rer. Brunsv.* tom. I, pag. 549.

(y) *Cod. Laur.* tom. I, n. 220.

(z) *Ibid.* tom. II, num. 1965.

(a) Ap. *Gudenus cod. diplom.* tom. III, p. 745.

BETTENHEIM villam pagi Rinensis ineunte seculo IX quatuor traditionum Laurisham. instrumenta habent, quorum duo testis signavit Rutpertus comes. (b) Diverfus hic locus est a *Beddenkircha*, de quo supra. (c)

ELIMARESBAH. Ado in pago Rinensi, in Elimaresbach, rem suam anno primo Caroli regis; (d) anno XI Uda suam in pago *Rinahgowe*, in locis nuncupatis *Thornheim & Elimaresbach & Erisfeldon* tradiderunt. (e) Conf. supra *Loheim*. (f) Henricus II rex ecclesie WORMAT. AN. 1002 bannum regium concessit a villa *Elmeresbach* juxta Rhenum usque ad Heriveldon. (g) Erravit itaque Besselius, qui ad *Elmbach* prope Lindenfels in silva Odonia hæc retulit. Esse infra Gernshemium *Elsbacher aue*, doctiss. Buchnerus me docuit. Comperiri tamen hujus rei, quum Gernshemii essem, nihil potui.

HERULFESHEIM. Rantwigus res Berngrimi in Herulfesheim AN. XII Karoli regis, anno XXXI ejusdem regis Hugimundus rem suam omnem, tres mansos, sexaginta jurnales &c in *Herulfesheim & in Leheim* dederunt. (h) In agro Gernshem. media fere inter locum hunc atque Phungstadium via villa extat, quam *zum Hirsch* vulgus appellat. Potuit antiquum Herulfesh. contrahi in *Hirschheim* & hoc ultima syllaba mutilari, quemadmodum ex *Herolfesfeld* prognatum est hodiernum *Hirschfeld*, principatus Hassiacus.

Y 3

HUR-

(b) *Cod. Laur.* tom. I, num. 222-25.

(c) Pag. 163.

(d) *Cod. Laur. dipl.* tom. I, n. 181.

(e) *Ibid.* num. 198.

(f) Pag. 165, §. VI.

(g) *Att. acad.* vol. I, pag. 236.

(h) *Cod. Laur.* tom. I, n. 210 sq.

HURFELDUN villam & marcam Carolus M. Laurishamen-
sibus dederat, quum ad eam *Suenheim* villam pertinere, habito
mox placito, auditisque testibus, iudicatum est an. XIV eju-
dem regis. (i) Wilhelmus comes de Catzenelebogen a. 1319
ab ecclesia Herbipolitana in feudum recepit majorem & mino-
rem villas Gera. . . villas Darmstat, Glappach, Betzingen, item
nemus Brinshard, de quo intendit facere villam, item medie-
tatem in villa *Urfelt*.

§. XI.

Loca dubia. Locis situ incertis, pago tamen Rhenensi certissime olim ad-
scriptis, more nostro subdimus ea, de quibus verisimile tantum
est, non certum, fuisse eidem pago annumerata.

APHABALAHA. Adalhardus quidam rem suam in *Sahsen-
heim & Heye*, duasque hobas in comitatu *Cunradi ducis*, in vil-
la, quæ nominatur Aphabalaha, S. Nazario donavit. Actum
in villa *Ulvenesheim* an. 951. (k) Proximitas *Sahsenhemii &
Ulveneshemii*, quæ in Lobdengovia, Freherum, ut in eadem
Lobdengovia villam Aphabalaha reponeret, induxerunt, nos
comitatus *Cunradi ducis* movit, ut in Rhenensi pago quæren-
dam illam esse existimaverimus. (l) At *Cunradum ducem* plu-
ribus pagis simul, non soli Rhenensi, præfuisse quum cogitemus,
(m) nostrum iudicium omne suspendimus.

GAULAGO. Udo filius Landonis omnia sua in *Bafusheim Lau-
res-*

(i) *Cod. Laur.* n. 228.

(k) *Ibid.* tom. I, n. 428.

(l) *Act. Acad.* vol. I, pag. 234.

(m) De Wormat. pago vid. *ibid.* pag. 292. Otto M. villam *Seggibach*
in pago *Nitehgowe* in comitatu *Cunradi ducis* ponit an. 947, ap. *Buri*
Bausforste in *Docum.* n. 1, ut de aliis jam pagis taceamus.

reshamensibus contulit an. XIV Pipini regis. Actum in villa *Gaulago* publice. (n) Vestigium hujus nominis nullum in pago nostro Rhenensi, ad quem pertinuisse videtur, superest.

HIREZBACH cum *Widcrestat* supra junctum vidimus, (o) at locum frustra quæxivimus.

ONCULAR. In villa Oncular Adelradus, Engilbaldus & Eberhildis duo jugera ad latus fisci regis eidem monasterio dederunt an. XIV Karoli M. (p) Traditio hæc cum inferta sit ceteris, in pago Rhenensi factis, pago quoque huic villam istam audacter adscriberemus, nisi immixta quandoque essent, per errorem scribentis, loca a pagis illis, de quibus agitur, prorsus aliena; id quod de *Wanendorphio* observavimus, vico pagi Logenehe minime dubio, quem cum in pagi WORMAT. traditionibus posuerit codex, nos eundem vicum inter dubia WORMAZGOVIÆ loca olim, a codice seducti, retulimus. (q)

ROD. Cum Suenheim, pagi Rhenensis villa, jungitur an. 964, quo Adalhochus cum rebus in Scarra S. Nazario traditis, in beneficium recepit, quidquid juris ejusdem S. Nazarii fuit in *Suenheim* & *Rod*. (r) Proximus Schwanhemio vicus est *Roda* vel *Rodan*, ditionis & parochiæ ejusdem, quem huc pertinere vix ac ne vix quidem dubitamus.

WIZILLAI. Traditio Liebetagæ anno XX Karoli M. habet *Birflettero* marcam & *Wizillai*. (s) De *Birfstadio* supra. (t)

(n) *Cod. Laur. dipl.* tom. I, n. 232.

(o) Pag. 169, §. VIII.

(p) *Cod. cit.* num. 212.

(q) *Act. acad.* tom. I, pag. 285.

(r) *Cod. Laur.* tom. I, n. 77.

(s) *Ibid.* n. 173.

(t) Pag. 155.

Wizillai autem nusquam excitavimus, nisi sit *Wizelere* marca in pago Wettereiba. (u)

§. XII.

Freherus
atque Bessel.
correcti.

Qui nostrum jam pagum cum Freheriano (x) & Besselliano (y) contulerit, locis minimum viginti ditio-rem reperiet, in quibus sunt multa, quæ tabulæ antiquæ in pago hoc diserte collocant, alia, quorum situs ad eundem ipsa pertinuisse nobis persuadet. Eliminavimus contra octo, quibus Freherus atque Bessellius suum laterculum temere auxerunt, quatuor pagi Lobdunensis, *Birckenowa*, *Luithereshuson*, *Scarra* & *Virnunheim*, quæ & illi ad Lobdengoviam simul retulerunt, excepto unico Luithereshusio, quod supra Winhemium est, longiusque supra Lutenbacum, quod eidem Lobdengoviæ tamen falsissime affinxerunt. Freherus conscriptioni marchæ & silvæ, quæ pertinet ad Virnunheim, verba in pago *Rinicowe* de suo, nescio quamobrem, adjecit. (z) Eliminavimus ~~forro~~ *Eccandorph*, *Frigbodesdorph*, *Rigimago* & *Pisnheim*, quæ charta Wigberti in pago *Rigorinse* ponit an. 770. (a) Nomina ista ignota profus sunt in pago Rhenensi, quem cum Rigorinse Bessellius confundit. Occurrunt autem ad Rhenum inferiorem, inter An-tonnacum & Bonnam, *Remagen*, *Eckendorf* & *Frizdorf*, cum quibus egregie conspirant addita in iisdem donationis literis verba *seu & ad Aram*, fluvium scilicet, qui paulo supra Rigomagum

(u) *Cod. Laur.* tom. II, n. 2926.

(x) *Orig. Palat.* part. I, pag. 47 sqq.

(y) *Prodr. chron. Gottwic.* part. 2, pag. 743 sqq.

(z) *Lib. cit.* pag. 52. Conf. *Cod. Laur. dipl.* tom. I, p. 114, n. 65.

(a) *Cod. Laur. diplom.* tom. I, n. XI, pag. 25.

magum illabitur Rheno. Rigomagus ab antiquis Celtarum & Romanorum temporibus innotescit, caput pagi Rigorinsis, quem ab eo nomen accepisse tanto minus dubitamus, quod cum Regomago loco & *pagum Regomagum* chartæ nostræ habent. (b) In hac itaque regione quærendi sunt cum superioribus quatuor vicis *Pedrellus mons & fluvius Burdisa*, quos in pago Rhenensi neque Besselius neque quispiam alius unquam invenerit. Induxisse in errorem videtur Freherum atque Besselium finis chartæ Wigberti supra laudatæ: *actum Rigimago seu Lauresham*, ex quibus verbis Rigomagus & Lauresham duplex unius ejusdem loci nomen fuisse crederes. At particula *seu*, quæ alias disjunctiva, copulativæ et vices in his mediæ ætatis monumentis sæpissime sustinet, ut in utroque tum dantis tum accipientis loco, Rigomagi nempe & Laureshami, traditionem istam factam atque peractam esse doceatur.

§. XIII.

Limites pagi Rhenensis ad occidentem & boream sunt fluvii majores, regnorum olim atque nationum termini, Rhenus, Moenusque, absque ullo, quod nobis saltem remaneat, dubio. Australis limes idem est, qui borealis pagi Lobodunensis, quem olim figimus. (c) Orientalem denique montium ad stratam montanæ surgentium cacumina constituunt, retro quæ Plumgovia & Moingovia occurrunt, ubi non tam facile est lineam certam ducere, quam in apertis atque cultis. Sunt enim in desertis, in silvis ac montibus limites definitu ubique difficilissimi.

Tom. II.

Z

§. XIV.

(b) *Cod. Laur.* tom. III, n. 3804 sqq.(c) *Act. acad.* vol. I, pag. 235.

§. XIV.

Comites

In describendis pagi hujus comitibus primus omnium sese offert RUPERTUS ; Cancronis comitis pater , maritus Williswindæ , quæ cum filio suo nobilissimam Laurishamensem abbatiam ad regulam S. Benedicti sub Pipino rege a.764, quo Rupertus iste jam decefferat, instituit. (d) De pago tamen, cui præfuerit , certo non constat , nisi filius successerit patri ; id quod precario isto vel Merovingorum regum , ad interitum suum properantium , vel Carolingorum in solium evektorum imperio accidisse verisimillimum est. Chronicon & traditiones Laureshamenses si consulas , Ruperto huic minimum quatuor filii fuerunt , ecclesiasticæ conditionis duo , totidemque seculares. Cancronis enim germani scribuntur *Rudgangus* , Metensis ecclesiæ archiepiscopus , (e) & *Thurincbertus* seu *Thurinebertus* (f) qui S. Nazarii monasterium duplici liberalitate locupletavit. (g) Rudgangi autem frater germanus & in monasterii novi regimine successor fuit *Gundelandus* abbas. (h) Comitivæ Rhenensis dignitatem in familia hac plures per generationes hereditariam videbimus. At multum abest , ut cum Huberto Thoma Leodio in comitibus his Palatinorum nostrorum comitum ad Rhenum incunabula quærenda esse censeamus. (i)

Cancor

CANCOR *illustris Rhenensis pagi comes* (k) filius Ruperti comi-

(d) *Cod. Laur. dipl.* tom. 1, pag. 2.(e) *Ibid.* num. 3.(f) *Ibid.* num. 10, pag. 25.(g) *Ibid.* num. 167 sq.(h) *Ibid.* pag. 6.(i) *Leodius in vita Friderici II elect. Palat.* lib. 1, pag. 8.(k) *Cod. Laur. diplom.* tom. 1, p. 2.

comitis , cum matre sua Williswinda villam *Hagenheim* in pago Wormat. (l) dein cum Angila uxore filvam in marca *Bifistat* (m) novo suo Laureshamensi monasterio tradidit. Priorem chartam cum ipso signavit Heimericus filius , posteriorem, an. 770, regnantibus Carolo & Carolomanno datam , Thurinebertus frater & Heimericus filius. Testamentum Wanilonis , filii Guntzonis, in *Winnenheim* , medio inter Lobodunensem atque Rhenensem pagos loco , pro Laurishamensi coenobio a. XIV Pipini regis , testes signarunt Warinus comes & *Crancro* comes; ille Lobodunensis, hic Rinensis. (n) In præcepto immunitatis Caroli M. an. 772 *Cancrinus* vocatur. (o) Decefferant Cancor & Williswinda mater a. 776, quo filius ejus , Heimericus comes, monasterium Laurishamense , divitiis magnopere auctum, sibi vindicare molitus est , ut in actis monasterii legitur. (p) Diverfus itaque a Cancrone nostro fuit *Cancur* comes, qui mansum, fervum & vineam in Sowelnheim, pagi Wormat. villa, eidem coenobio donavit an. 781. (q)

HEIMERICUS filius & successor Cancronis comitis, dona- Heimericus tionis paternæ an. 764 factæ jam testis, (r) alibi filius Williswindæ dicitur , (s) cujus erat nepos , unde Tolnerus (t)

Z 2

duos

(l) *Cod. Laur.* tom. 1, num. 1, pag. 3.

(m) *Ibid.* num. 10, pag. 23.

(n) *Ibid.* num. 482, pag. 477.

(o) *Ibid.* num. 4, pag. 11.

(p) *Ibid.* pag. 8 sq. num. 3.

(q) *Ibid.* tom. 2, num. 1522.

(r) *Ibid.* tom. 1, num. 1, pag. 4. Adde num. 3, pag. 9, & num. 10, pag. 25.

(s) *Ibid.* num. 228, & ap. *Freher. orig. Palat.* part. 1, pag. 51.

(t) *Hist. Palat.* cod. diplom. pag. 3.

duos Heimericos, comites Rhenenses, admittit, alterum Cancronis fratrem, alterum filium. Heimericus hic comes Thuringberti, patris sui, traditionem in Birstat an. 768, (u) nec non Altramni presbyteri literas donationis in Basinsheim an. 772, (x) & in Altdolfesbach an. 779 (y) testis signavit, ipseque rem denique suam cum Hermanno quodam in Oppenheim & Urbach an. 781, (z) annoque sequenti in Babestat (a) S. Nazario donavit. In postrema hac charta *Heinricus* comes scribitur, in reliquis *Heimerich*, *Heimericus*, *Heimiricus*. Publico placito apud Karolum M. anno XIV regni ejus in causa monasterii Laureshamensis de rebus in pago Rhenensi sitis habito cum multis aliis interfuit *Heimiricus comes*. (b) Pro anima Heimerici, germani sui, Rachildis Deo sacrata rem suam propriam in pago WORMAT. in Dineneheimer marca & ultra Rhenum in Sunninheimere stete anno XXV Karoli regis S. Nazario obtulit; (c) unde Heimericum nostrum & forem habuisse Rachildem, & ultra annum 792 non vixisse colligimus.

Rupertus II RUPERTUS. Placito jussu Caroli M. anno XXVII regni ejus a Warino, Lobodunensis pagi comite, in silva ad Hephenheim pertinente habito, *de Moynicowe & Rimcogowe* judex & testis affedit *Rupertus comes*. (d) Eodem anno *Rupertus comes* vineam
in

(u) *Cod. Laur.* tom. I, n. 167, pag. 285.

(x) *Ibid.* num. 248, pag. 335.

(y) *Ibid.* num. 221.

(z) *Ibid.* tom. II, num. 1539.

(a) *Ibid.* tom. I, num. 178.

(b) *Ibid.* num. 228.

(c) *Ibid.* num. 15.

(d) *Ibid.* tom. I, pag. 17.

in Oppenheim pro anima Selberti S. Nazario obtulit. (e) Badugifi & Hildibaldi traditiones, in pago Rinensi an. 804 & 807 eidem monasterio factas, idem *Rutpertus comes* testimonio suo firmavit. (f) Fuit Rupertus hic filius Thurincberti, fratris Cancronis comitis, adeoque patruelis Heimerici, cui successerat, comitis. Turincbertus & *filius ejus Ruotpertus* an. 770 medietatem mansi in Birstat monachis tradiderant. (g) Heimericum itaque absque mascula prole, adulta saltem, decessisse colligimus, quod ipso defuncto comitiva transiit ad patruelem. Ruperti uxor, Wialdrudis, pro anima *Ruperti comitis quondam viri* sui cum Guntramo, filio forte suo, mansum cum ædificio, journalibus XXII & pratis in Buofinesheim Laureshamensi monasterio contulit anno XXI Ludovici Pii imp. (h) æræ Christ. 834.

Eodem, quem diximus, anno *Gunthramni comitis* in Ful-Guntramus
denses monachos liberalitatem charta superius allegata celebrat.
(i) Godefredus Besselius, charta hac usus, villam pagi Rhen.
Hova in comitatu Gunthramni comitis audacter ponit, (k) ac
si verbis disertis id charta diceret, quæ comitis tantum, non
comitatus, mentionem facit. Ut comitatum tamen hunc ad-
mittamus, tum bonorum, quæ donavit, situs, tum summa,
quæ cum Wialdrude, uti modo vidimus, ipsi fuit, necessitudo
nobis persuadent. Accedit inter Rupertum superiorem & filium
ejus, qui mox sequitur, Rupertum hiatus temporis, quem
Z 3 Gun-

(e) *Cod. Laur.* tom. II, num. 1541.

(f) *Ibid.* tom. I, num. 222-24.

(g) *Ibid.* num. 178.

(h) *Ibid.* num. 271.

(i) *Vid. supra* §. VII, pag. 166.

(k) *Prodr. chron. Gottwic.* part. 2, pag. 744.

Guntramus hic comes opportunissime explet. Pro remedio animæ domini sui *Guntrami comitis* Badagifus duas hubas in Phungestat, pagi quoque nostri Rhenensis villa, quas idem Guntramus ipsi dederat, anno xxiv Ludovici Pii imp. S. Nazario donavit. (1)

Rupertus
III.

Ruperto II filius fuit ejusdem nominis, qui post obitum patris sui, nondum comes, duos mansos cum hubis, agris, vineis & pratis in Mettenheim, pagi Wornat. villa, Laureshamensi cœnobio tradidit anno xxiii Ludovici imperatoris, ubi *Rubertus filius Ruberti comitis* diserte scribitur. (m) Guntramo paulo post mortuo ipsum in comitiva pagensi successisse, ex instrumento Badagifi supra laudato, quod *Ruotbertus comes* apposito Laureshami signo suo stabilivit, addiscimus. Oritur hinc probabilis sex comitum pagi nostri Rhenani series genealogica, quam ut cernendam oculis apertiolem reddamus, schemate sequenti proponendam & explicandam esse duximus.

RUPERTUS I comes † ante 764.

Ux. Willifuinda filia Adelhelmi.

CANCOR comes 764, † ante 776. Ux. Angila 770.		Thurincbertus 768, 770.
HEIMERICUS comes 768 † ante 792.	Rachildis Deo sacra 792.	RUPERTUS II f. Ruotpertus comes 795, 807 † ante 834. Ux. Wialdrudis 834.
GUNTRAMUS comes an. 834. † 836.		RUPERTUS III 836. Ab

(1) *Cod. Laur. dipl.* tom. I, num. 219.

(m) *Ibid.* tom. II, num. 1326.

Ab hac Ruperti junioris ætate per quadraginta, & quod ex-
 currit, annos conjecturis magis quam certis veterum tabularum
 testimoniis eliciendi nobis sunt pagi Rhenensis comites, quum
 qui hoc intervallo occurrunt, neque stirpe sint cogniti, neque
 pago, cui præfuerint, certi. Occurrit autem sub Ludovico Ger-
 manico *Adelhardus comes provisor monasterii S. Nazarii*, qui bo-
 norum in pago Wormat. sitorum commutationem cum eodem
 monasterio suscepit circa an. 855, (n) & Lotharium regem in-
 duxit, ut terram proprietatis suæ in Gannitta coenobio huic
 traderet an. 860. (o) Præstantissimæ donationis literas an. 877
 Lareshami perscriptas signo suo præsentibus roborarunt *Adalhar-
 dus comes*, *Erinfridus comes* & *Cristianus comes*. (p) Veri-
 simile ex his, Adelhardum & ex Cancronis comitis genere
 prognatum & pagi Rhenensis comitem fuisse, quoniam here-
 ditariam alias Lareshamensis abbatix advocatiam exercuit.

Comites
dubii.

Occurrit porro sub Ludovico juniore, Germanici filio, *Rut-
 hardus comes*, quo præsentibus conscriptio terminorum silvæ ad
 Langungam pertinentis facta est. (q) Additur autem de Rut-
 hardo, *missum regis Ludovici junioris* fuisse, quo ipso fit, ut
 cujusnam pagi comes fuerit ignoremus. Accedit, quod vivo
 Ruperto juniore, id est, anno xxiii Ludovici Pii imp. Rut-
 hardus comes chartam Laresham. de rebus in pago Rhenensi
 datis jam testis signavit. (r) Observandum hic, mirum esse,
 Ludovicum Germ. diplomata plura Lareshamensibus dedisse de
 rebus

(n) *Cod. Laur. diplom. tom. 2, num. 1922.*

(o) *Ibid. tom. 1, num. 24.*

(p) *Ibid. num. 40, pag. 79.*

(q) *Ibid. tom. III, pag. 271.*

(r) *Ibid. tom. II, num. 218.*

rebus in Rhenigovia fitis, at nullius plane pagi hujus comitis, præter morem, fecisse mentionem. (s) Addimus denique dubiis hisce pagi nostri comitibus *Megingotum*, qui anno xx Ludovici regis super orientales Francos in Franconis cujusdam traditione Laureshami facta primarius testis adducitur. (t) Nescio an idem sit, quem propter res in Mettenheim dono datas in pagi Wormatiensis rectoribus pariter dubiis olim retulimus. (u) Superatis his tenebris lucida nunc redit comitum, quos requirimus, series, certior longe, quam quæ hætenus perlustravimus.

Gebehardus GEBEHARDUS. Adelbero, episcopus Augustensis, res in Kerenesheim ab Arnolfo imp. dono acceptas ad coenobium Lauresham, in pago *Rinigowe*, in *comitatu Gebehardi*, juxta fluvium, qui dicitur Wisgoz, sito tradidit circa an. 896. (x)

Udo UDO. Conradus I rex tertio nonas Nov. an. 916 capellano suo Werinolfo, quidquid sibi juris fuerat in pago *Rinicowe*, in *comitatu Utonis*, in locis Watenheim & Virnunheim ea tradidit lege, ut Werinolfo mortuo hereditas ad monachos Laurishamenses transfiret. (y) Eundem vel ejusdem sane nominis comitem post triginta & duos annos, nullo intermedio alio, nobis offert Ottonis M. diploma, quod villam Hemmingesbach in pago *Rinegowe* in *comitatu Udonis comitis* collocat tertio Kal. Mart. an. 948. (z) Udonem hunc superioris comitis, Gebehardi, filium fuisse, ex systemate Eccardiano, mox videlimus.

CUN-

(s) Vid. ibid. tom. 1, num. 25 sq. 36, 38.

(t) Ibid. tom. 1, num. 802.

(u) *Acta acad.* vol. 1, pag. 290.

(x) *Cod. Laur.* tom. 1, num. 53.

(y) Ibid. n. 64.

(z) Ibid. n. 67.

CUNRADUS. Luitherus diaconus, annuente Ottone rege, Cunradus monasterio S. Nazarii tradidit, quidquid habuit in duabus villis, scil. in Phungestat & Heberstat, in pago *Rinechgowe*, in comitatu *Cuonradi comitis*, accipiens vicissim in eodem pago & comitatu mansos quatuor in Seheim. (a) Rem hanc ad annum 950 circiter referimus, iuxta temporis nota in charta deficiente. De comitatu Cunradi ducis an. 951 alibi expresso dubia nostra ad villam Aphabalaha supra protulimus. (b) Imo persuasi nunc sumus, locum hunc ad Rhenigoviam nostram minime spectare, quoniam diversus plane fuit Conradus comes a Conrado duce, Francus quidem uterque, at non Salicus. Salicæ genti adscribendus omnino est Conradus dux, ad Lotharingiæ scilicet ducatum jam an. 944 promotus, qui cæsus ab Hungaris an. 955 periiit. Noster autem Conradus, comes Rhenensis, eandem dignitatem ducalem, non Lotharingiæ, sed Sueviæ, an. 983 demum adeptus est, servato simul, quem ante habuerat, comitatu. Cunonem enim ducem, pagi *Rinichgowe* comitem anno 985, in Triburis supra (c) commemoravimus. Decennio post Otto III imp. Francofurti agens, in loco Steine dicto juxta Rhenum, in pago *Rinichgowe* & in comitatu *Cunradi ducis* sito, mercatum publicum esse Laureshamensibus concessit. (d) Alium sane Conradum ducem, quam in Suevia, tum non habemus, vivo adhuc Ottone duce, Salici generis, cui filius quidem fuit natus minor Conradus, at isto, quo jam versamur, tempore nondum dux. Favent hæc egregie Eccardiano, quod

Tom. II.

A a

supra

(a) Ibid. n. 68.

(b) Pag. 174, §. XI.

(c) Pag. 171, §. IX.

(d) Cod. Laur. dipl. tom. 1, n. 84.

supra diximus, systemati, (e) ex quo Conradi, Sueviæ ducis, pater fuit Udo comes, avus Gerhardus sive Gebhardus; omnes uno in pago Rhenensi, uti ostendimus, una serie comites.

Gerungus GERUNGUS. Comitatus Gerungi comitis in *Rinecgowe* cum locis in eo sitis, Elmeresbach, Heriveldon &c. memoriæ proditur in diplomate ecclesiæ WORMAT. ab Henrico II rege Rom. dato a. 1002, quod in Lobodunensi pago jam olim adduximus. (f)

Adelbertus ADELBERTUS. Adelberti comitatum in *Rinicowe* a. 1013 eodem Henrico II imperante & commemorante, supra in *Geraw* vidimus. (g)

Supereft unicus Poppo, quem ad Rhenensem pagum dubito an referri debeat ex diplomate regio, quo abbatiam *Lorissa* dictam in pago *Lobotengowe* in comitatu *Popponis comitis* sitam, cum omnibus præposituris, ecclesiis, decimis, villis &c. Henricus IV imp. Adelberto archiepiscopo Hammaburgensi, administro suo regni primario at corruptissimo, ut in potestate ipsius & successorum maneret, anno 1065 tradidit. (h) Rem hanc in pagi Lobodunensis descriptione jam olim tetigimus, ubi *Lorissam* sive *Laureshamum* in pago hoc male collocatum esse docuimus. (i) Poppo nisi utrique pago, Lobodunensi atque Rhenensi, præfuerit, soli Lobodunensi relinquendum illum esse comitem censemus, tum propter ipsum, tum propter filium Henricum, quem in comitiva hac ei successisse alibi ostendimus. (k)

DE

(e) *Orig. Habsburgo-Austr.* Lib. II, cap. I, pag. 74.

(f) *Act. acad.* tom. I, pag. 236.

(g) *Pag.* 170, §. VIII.

(h) *Joannis* in append. ad *Helwici antiq. Lauresham.* quas tomo suo novo *scriptorum historiae Mogunt.* inseruit pag. 116.

(i) *Act. acad.* vol. I, pag. 235.

(k) *Ibid.* pag. 242.

DE
COMITE PALATINO
GALLIAE

Dissertatio

JO. DAN. SCHOEPFLINI.

§. I

MEROVINGIS sub regibus potens, sub Carolingis præpo- Status
tens palatii comes, Francorum imperio in quatuor regna diviso, regni.
nonnisi quartam potestatis suæ partem in singulis regnis reti-
mit, quod Virodunensi pactione a. 843 factum esse comperimur.

Carolus Calvus, cui Gallia in divisione obtigerat, fratrum
suorum imitatus exemplum, comitem palatii in sua aula serva-
vit. Post ejus decessum comitis palatini nomen ex aula in pro-
vincias migravit, in quibus & illud procedentibus seculis om-
nino disparuit. Proprium regem vix acceperat Gallia, quum
imminui jam cœpit vetus ejus majestas. Successorum Caroli
Calvi debilitas mentis; perpetuæ Normannorum, in viscera regni
penetrantium, incurfiones; ducum & comitum ambitiosa con-
silia, regnum ita turbarunt, ut mortuo Calvo Galliam in ipsa
Gallia quæfivisses.

Solium regium, quod Carolo Simplici, ejus nepoti, debeba-
tur, Eudo, Parisiensium comes, usurpator conscendit. Sim-
plices filius, Ludovicus Transmarinus, a. 936 regnare qui cœ-
pit, opibus regni adeo fuit nudatus, ut nullam in potestate
sua urbem habuerit, præter Laudunum & Rhemos. Comitivam
Lutetizæ, ut & Francizæ ducatum, jam occupaverant majores
Hugonis Capeti, folio qui deinceps Carolingos dejecit. Comi-
tes

tes ad regis nutum revocabiles nuper , mox comitatum domini hereditariam in illis successionem sibi paulatim arrogaverant. Comites quod fecere, fecerunt & duces. In regno suo rex vixerat exul. Potentiores ex comitibus ut se altius extollerent, *comitis Palatini* titulum vel extorserunt regi, vel ipsi sibi audacter tribuerunt, de regis consensu parum solliciti. In hanc referendi sunt classem comites Trecaurum, comites Campaniæ, Veromanduzæ, Bellovacenses, Carnutenfes, Blesenses, Pictavienses, Tolosæ, alique, quos in pagis & comitatibus suis, seculo IX finiente, potentatum jam exercere cœpisse, monumenta nos docent. Prostrata in Galliarum regno potestate regis, prostrata quoque fuit comitis Palatini in aula potestas. Jurisdictionis ejus in palatio regio post Carolum Calvum nulla reperimus vestigia. Post divisam monarchiam Francorum vix viginti per annos apud Gallos duravit comitis Palatini munus & dignitas.

§. II.

Car. Cangii
sententia
examinata.

Contraria tamen sententia placuit viro toti reipublicæ literariæ noto & caro, Carolo illi Cangio, qui non modo sub omnibus Carolidis, sed & sub primis Capetiis regibus comitis Palatini dignitatem & munus in aula perstitisse arbitratur. (1) Sententiæ ejus se opposuit nemo, licet ipsa, quibus adstruere eam studet, exempla contrarium indicent. Primi, quos ille producit, Elmeradus, Arbertus, Fulco, veri fuerunt palatii comites, qui in aula Caroli Calvi Galliarum populis veteri more jura dixerunt.

Anno IV regni Elmeradus, palatii comes, nomine regis præfedit judicio. (m) Anno

(1) In Differtatione XIV ad Joinvillam, & in glossario, voce *comes Palatinus*.

(m) *Baluzii capitularia*, in append. num. 59.

Anno xxiv ejusdem regis placitum publicum celebravit Arbertus. (n)

Anno xxviii causas palatii diremit Fulco, (o) verus palatii comes, sed omnium, quos novi, postremus. Illi enim quos Cangius his tribus subjungit, non ad aulicos, sed ad provinciales Galliæ, vel ad Lotharingici regni Palatinos referendi sunt comites.

Widricus ille, qui Heristallii an. 916 sub Carolo simplice præfedit judicio, (p) Palatii comes fuit in Lotharingiæ regno, quod ante quinquennium in potestatem Galliæ regis transivit ad tempus; Conradum a Germanis electum quum agnoscere nolent Lotharienses, Carolo Simplici, Francico regi ex Carolingis, additi. Heristallium ad Lotharingos pertinuit, qui peculiarem quoque suum palatii comitem habuerunt, ut Germani & Galli.

§. III.

Ad comitum provincialium vero classem referendus est Theobaldus ille, cujus Rudolphus rex in charta Blefensi an. 924 data, (q) facit mentionem; *precibus amici sui Theobaldi, inclyti comitis palatii*, donationem se fecisse professus; stylus usurpatoris coronæ, qui comitis potentis amicitiam sibi conciliare studet, stylo novo, aulæ Francicæ ignoto, cujus rex comitem palatii nunquam vocavit *amicum*. Theobaldus hic filius

Comites pa-
latini Cam-
paniæ.

A a 3

fuit

(n) *Martene collectio ampliff.* tom. 1, pag. 169.

(o) *Doublet histoire de S. Denys* p. 716.

(p) *Martene amplissima collect.* tom. 1, pag. 270. Confer *acta academiae nostræ Elect. Pal.* tom. 1, pag. 102.

(q) Charta est monasterii S. Launomari prope Blefas. Extat in *Gallia Christiana* tom. VIII, p. 412, & in *Bouqueti scriptoribus rer. Francicar.* tom. IX, pag. 566.

fuit Theobaldi & Richildis, filiae Roberti Fortis, potentissimi Franciae ducis atque comitis Parisiorum, cujus duo filii, Eudo atque Robertus, solium Galliae spreto justo rege, Carolo Simplicem, conscenderunt. In Blesensi, Carnutensi & Campaniae pagis, paulo post in comitatus conversis, potentatum Theobaldus suum exercuit. Ob violentiam & malam fidem appellatus est fallax, (r) mortuus circa a. 978. Filius Odo *comitis Campaniae* titulo primus est usus. Nepos Otto II *comitis Palatini Campaniae* titulum primus adhibuit. In charta Sparnacensis ecclesiae, Rhemensis dioecesis, an. 1032 *comitem Palatinum Francorum* novo stylo se ipsum appellat, (s) sub usurpatore Rudolpho, Burgundiae duce, qui Ludovici Transmarini, veri regis, solium occupaverat.

In eandem referendus est classem *Heribertus* ille Trecensium apud Campanos comes, quem sub Lothario, Franciae rege, palatii comitem in aula regia constituit Cangius, chartam an. 969 allegans, quam Camuzatus (t) produxit, in qua *gloriosum Francorum comitem* ipse Heribertus se vocat, sed non comitem Palatinum. Thraconicus comitis arrogantis & ambitiosi titulus; usurpatorem non comitem Palatii ordinarium designans; propria qui auctoritate judicat, non regia; qui judicat in propria causa. Pronuntiata enim haec sententia fuit ab Heriberto in propria lite, quam ipse cum monachis Dervensibus habuit apud Campanos. Pater ejus fuisse videtur potens ille Veromanduae comes, an. 943 mortuus, qui Franciae reges posuit, deposuit; arbiter rerum. Undecim post annos Lotharius

(r) *Le Tricheur*, vid. *Glaber Rodolphus historiae Francorum* Lib. III, cap. 2.

(s) *Dacherii spicileg.* tom. 3, pag. 391.

(t) In *promptuario antiquitatum Tricastinar.* pag. 85.

rius rex , hanc Heriberti chartam confirmans , *comitem palatii* eum vocat , non aulicum regni , sed provincialem intelligens.

Ejusdem classis fuit Theobaldus IV, Campaniæ comes ; tertii nepos , qui in Mauriniacensi chronico (u) comitem Palatinum & infra Franciam secundum a rege se vocat : insolita formula , quæ principem superbum indicat , non ordinarium palatii comitem. Enimvero Theobaldus hic Henrici I Angliæ regis ex sorore nepos , non modo Trecentium , sed & Meldensium , Carnotensium , Blesensium , aliarumque provinciarum comes fuit , ut auctor chronici Mauriniacensis testatur ; unde agnomen *Magni* ei accrevit. Turbis contra Philippum , Franciæ regem , ejusque filium , Ludovicum Grossum , non semel fuit implicatus ; anno 1152 vita defunctus , postquam XXVII per annos comitatus suos rexisset. Petrus Pithoeus , in republica literaria primarius vir , Theobaldum hunc quartum *comitis Palatini* axioma primum suscepisse arbitratus est. (x) Error tanto viro condonandus , quod ejus ævo nondum in lucem prodierant chartæ , quas modo produxi , ex quibus Odonem II , Theobaldi IV proavum , titulo hoc usum jam fuisse , docemur.

§. IV.

Postremum aulæ Gallicæ palatii comitem Roberto sub rege Bellovacangius Hugonem Bellovacensem constituit ; diffidiorum inter census , regem & Constantiam reginam auctorem , qui a duodecim militibus , quos Fulco Andegavorum comes , reginæ cognatus submisit , occisus est , rege præsentē. Glaber Rodolphus (y) diferte

(u) *Chesnius scriptorum Franciæ tom. iv, pag. 365.*

(x) *In diatriba des comtes de Champagne pag. 456.*

(y) *Historiæ Francor. Lib. 3, cap. 2.*

diserte hæc refert ; sed ipse rerum circumstantiæ docent , Hugonem comitis Palatini Bellovacensis accepisse & gessisse titulum , qualem Campaniæ aliique comites, quos memoravi, gesserunt ; Palatini nempe comitis in suo comitatu , non in Palatio regis. Comites bello cum vicinis & cum ipso rege suo frequenter impliciti , in castris & arcibus suis dominati sunt , de palatio vel aula regis parum solliciti. Guilielmus de Tegula, Moissacensis Tolosatium abbatix sec. XIII Prior , comites Tolosæ in monasterii sui chartis comites Palatinos vocari quum vidisset , præcipuas novi hujus comitum provincialium styli causas allegat, quod regia palatia in provinciis tenuerunt, quodque vicecomites & barones multos habuerunt vassallos. (z)

§. V.

Pithoei
error.

Gravior est alter ejusdem Pithoei error, quando eundem Theobaldum magnum , Campaniæ comitem, non a Galliæ rege, sed ab imperatore Romano-Germanico comitis Palatini axioma obtinuisse perscribit ; illustrem Conringium (a) auctoritate sua in errorem abducens , quem & alii juris publici Germanorum scriptores secuti sunt. Theobaldi Magni avus, Theobaldus III, Henrici III imp. jam factus est miles ; ut Hermannus Contractus, scriptor illius ævi, testatur. (b) Militiam hanc ad homagium respexisse Campaniæ , Hermannus Conringius confidenter asseruit , ille, qui optime noverat , Lotharingicum regnum , Germaniæ regno jam pridem conjunctum, flumine Mosa constanter fuisse separatum a Gallis. (c)

§. VI.

(z) *Catel histoire des comtes de Tolose* Lib. 1, pag. 24.

(a) *De finibus imperii* Lib. 2, cap. 36, pag. 406.

(b) *Apud Canisum* tom. 3, pag. 274.

(c) *Blondelli Barrum Campano-Francicum*, pag. 2.

§. VI.

Nec transeundum silentio est, quod Palatinus apud Germanos comes, eodem tempore, idem cum palatino Galliae comite expertus sit fatum. Lotharingae regnum seculo x sub caesaribus Saxonibus quum jungeretur Germanico, officium hoc in utroque jam regno perierat; sed substitit nomen. Cum autem in nonnullis ducatibus alii quoque Palatini comites novi generis nascerentur, vetus Lotharingici palatii comes ut ab aliis distingeretur, *comes Palatinus Rheni* vocatus est, quod sub finem seculi xi ab Henrico de Lacu factum esse comperimus. Unde hodierni palatinatus Rheni origines in Lotharingae regno haud dubie quaerendae sunt. Ludovicus, Germaniae rex, qui in aula sua Palatinum comitem, ut fratres sui, Lotharius & Carolus Calvus, in suo quisque regno, habuerat, a. 876 vita decedens, inter tres filios in tria regna Germaniam subdivisit. Carolomanno obtigit Bavaria, Ludovico Saxonia, Carolo Alemannia. Singuli regis titulo usi, singuli quoque palatii comitem, ad patris exemplum, in aulis suis constituerunt. Tribus his regibus sine prole extinctis, Palatini comitis titulum apud Bavaros, Saxones & Suevos insequenti aevio si perstitisse credamus, fortassis haud aberramus a vero.

ComitisPal.
in German.
fortuna
similis.

§. VII.

Abrogatus in aula Gallica quum fuisset palatii comes, ad Seneschallum primum aulae locum (d) ascendit Seneschallus, *Dapiferum* ^{lus Gall.} quem latine vocant, tanta auctoritate brevi tempore potitum, ut veterem illam majorum domus dictaturam in Francia revixisse crederes. Seneschallatus a seculo x temporibus in Andegavensium

Tom. II.

B b

comi-

(d) Apocripharius, qui sub Caroli M. aulicorum omnium primus fuit, Hincmaro teste, post imperium divisum in Gallica aula non comparuit.

comitum familia hereditario veluti jure continuatus est. (e) Ex Andegavensibus his ortus Henricus Plantageneta, Henricorum secundus, Angliæ solium a. 1154 quum conscendisset, primariam aulæ Gallicæ dignitatem in Angliæ regis manibus esse incongruum ratus est Philippus Augustus, atque an. 1191 Senechallatum in aula sua abrogavit. Rei bellicæ summa comiti stabuli comissa. Ex Monmoranciis ducibus Matthæus hujus nominis secundus a. 1218 hac dignitate ornatus est, a quo tempore comitiva stabuli aulæ Gallicæ prima dignitas fuit; sed rebus militaribus tantum intenta. Ita eadem fata, quæ seculo finiente nono subiverat comitiva palatii, duodecimo ad finem vergente Senechallatus subivit. Stabuli comes, quem Hincmarus post comitem palatii, post Senescalcum & Buticularium posuit, quique adeo fuit ordine quartus, sub Philippo Augusto primus ordine factus, sub Philippo Valesio summum post regem regni culmen conscendit.

Reliqua Senechallo quæ adhæserant munera, inter proceres aulæ distributa sunt. Cura palatii magno aulæ magistro, justitiæ cura cancellario regni, ærarii inspectio peculiari fuit comissa præfecto, adeoque quatuor inter proceres divisa sunt, Senescalcus quæ possederat solus. Sed & ipsa comitiva stabuli, soli licet adstricta militiæ, nimis tandem visa est potens; sub Ludovico XIII denique abrogata. In Franciæ marechallis ex parte jam residet.

Comitiva palatii ergo in aula Gallica periit centum & quinquaginta annos ante, quam interitum ejus constituit Cangijs. Pithœus, tituli comitis Palatini a comitibus Campaniæ assumpti constituens tempus, centum annorum metachronismo peccavit.

(e) Senechalli & marechalli nomina ex Germania ad Gallos migrarunt. Ille familiæ aulicæ, hic equorum designat præfectum. *Hugo de Cleriis de majoratu & senescalcia Franciæ apud Duchene tom. IV scriptor. pag. 328.*

cavit. Campaniæ comitatum Germanici imperii feudum fuisse, ejusque comites ab imperatore, non a Galliæ rege, comitis Palatini titulum accepisse, male docuit Conringius.

RUPERTUS CAESAR DEFENSUS.

Auctor

JO. DAN. SCHOEFFLINUS.

DISSERTATIO I

De Italica Expeditione.

§. I.

IMPERIUM biceps, ecclesia triceps, Ruperti Palatini imp. re-
gimen ab omnium cæsarum superioris ævi regimine distinguunt. ^{electio.}
Wenceslao, ob dissipatum præsertim Italiæ regni patrimonium,
a quatuor electoribus Rheni deposito, datus est Rupertus suc-
cessor, princeps clemens, justus, literatus, aliisque virtutibus,
togatis tamen magis quam sagatis, conspicuus; dignus in me-
liora qui incidisset tempora, quibus tranquillior ecclesiæ & rei-
publicæ status. Romanus pontifex Bonifacius IX, (f) Hen-
ricus IV Anglorum, Martinus Aragonum, Martinus Siciliæ re-
ges, pater nempe & filius, Margaretha Sueciæ, Daniæ & Nor-
vegiæ regina, Johannes Burgundiæ & Carolus Lotharingiæ
duces, ut & plerique Germaniæ principes, præter Saxonem ac

B b 2

Bran-

(f) Inter legatos pontificios fuit Jofredus, Leiningæ comes. Epistola Ru-
perti ad papam apud *Martene thes. anecd.* t. 1, p. 1653, adde pag. 1669.

Brandenburgicum electores, novam dignitatem Ruperto gratulati sunt. (g) Nec Carolus VI, Galliae rex, Lucelburgicae domui sanguinis vinculo junctus, favit Ruperto.

§. II.

Instituti
ratio.

In decennali hujus caesaris regimine infelix reprehenditur expeditio Italica, reprehenditur insuper non deletum ecclesiae schisma. In accusationibus his, quid verum, quid falsum sit, ex idoneis scriptoribus, quos primus hoc seculo Muratorius produxit, ad veritatis normam examinaturus sum; brevitatis studiosus. Scriptores Italici quatuor, Gatarus (h) Delaytus (i) Sozomenus (k) Bonincontrius, (l) majoribus nostris ignoti, mihi lucem accendent; hisque Poggium (m) adjungam. Gatarus, Patavinatum rerum idiomate patrio idoneus scriptor, caesarem Rupertum ipse Patavii vidit. Scriptoribus his epistolas ipsius

(g) Indicem eorum, qui adhaeserunt Ruperto, vide in *apparatu juris publici*, Argentorati 1695 edito, pag. 106.

(h) Andreas Gatarus, Galeatii Gatari, patris sui, continuator. Rubrum est: *Gataro cronica della citta di Padova*, apud *Muratorium* tom. XVII.

(i) Jacobus Delaytus, Italice *de Delayto*, Nicolai III, marchionis Eftenfis cancellerius, principis sui vitam describens, multa de Ruperto memorat, ab a. 1393 usque ad 1409 ap. *Murator* tom. XVIII.

(k) Sozomenus, ecclesiae Pistoriensis presbyter, Constantiensi concilio a. 1414 interfuit. *Murator* tom. XVI.

(l) Laurentius Bonincontrius, San-Miniato-Etruscus, ex conspicua patriae familia, Marfilii Ficini amicus. Annales ejus, ad sua usque tempora scriptos, edidit *Muratorius* tom. XXI.

(m) Poggius Florentinus, concilii Constantiensis scriba. Florentinam ejus historiam Recanatus a. 1715 & post eum *Muratorius* tom. XX ediderunt.

ipſius cæſaris Ruperti ſubjungo, quas Martenius (n) in lucem edidit.

§. III.

Difficilior res fuerat expeditio Italica, quam Rupertus crederat. Ademtæ Wenceslao dignitatis cæſareæ cauſam electores allegarunt primariam, quod Johannem Galeacium, ex vicario imperii ducem Mediolanenſem, inſciis ipſis, ita conſtituit, ducatus feudalís ut tranſiret ad poſteros. Lex regia, Ruperto præſcripta, adſtrinxit eum, ut Mediolanum recuperaret imperio. Nec ſegniter Rupertus ea, quæ promiferat, exequi decrevit; invitatus quoque a pontifice Romano, Romanam ei qui coronam obtulerat; invitatus a Florentinis, qui duodecennali bello cum Galeatio fracti (o) ad Italicam expeditionem, ut ſine mora ſuſciperetur, ducenties mille ducatos ei obtulerunt. (p)

§. IV.

Italia plena tum fuerat heroum. Quamdiu ſuprema ſua in Italiam jura exercuerant Germaniæ cæſares, proſtrata apud Italos fuerat fortitudo & virtus. Sed proſtrata apud eos cæſarum auctoritate, quod a temporibus Rudolphi Habsburgici fieri cœpiſſe novimus, Italia viſa eſt fortium virorum ferax, quales Roma vetus produxit. Vicecomites urbium, cæſarem olim

B b 3

qui

(n) *Theſauri anecdotor.* tom. 1.

(o) *Machiavelli hiſt. Florentina* Lib. 3 fin.

(p) *Martene theſ. anecd.* tom. 1, pag. 1662, ubi ipſa factio inter Rupertum & Florentinos. *Leonardus Aretinus hiſt. Florent.* L. XII, p. 242 ait, Florentinos Ruperto in Germania jam ſolviffe pecuniam, ut ad expeditionem ſe pararet; ſed errat & cum eo *Antoninus*, archiep. Florent. in *chronico* part. 3, tit. 22, §. 35, p. 448. Hic a. 1459 deceſſit.

qui agnoverant dominum, occuparunt tyrannidem; delegatam potestatem convertentes in propriam. Tyrannus contra tyrannum vicinum fuit semper armatus.

Apud Mantuanos illo tempore potentatum exercuerunt Gonzagæ; Mastini tenere Brixiam; Scalani veronam atque Vicetiam; Carrarii Patavium, Cavalcanti Cremonam, Ottolini Parmam, Bentivoli Bononiam, Estenses Mutinam. Apud Faventinos Astorgii, apud Ariminenses Malatestæ, apud Lucenses Gunugii, apud Pisanos Gambacurtæ, apud Perusinos Bioridi, apud Cortonenses Cafalii, apud Pistorienses Ricardi, apud Reginenses Ottoboni dominati sunt. Galeatii ab Henrici VII imperatoris ævo vicariam apud Insubres potestatem exercuerant, antequam vicariatus eorum in ducatum conversus. (q)

Ex tam frequenti tyrannorum dominantium numero nata sunt quotidiana certamina, velitationes & pugnæ; nata est numerosa & multiplex martia soboles, equestribus exercitata bellis, in qua Albericus Barbianus, Bioridus, Urfinus, Othonus, Brandolinus, Ceccolinus & Brolia, Malatesta, Sfortia eminent, quos omnes in unam S. Georgii societatem eminentem inter eos Albericus coegit. (r)

Ex tot tyrannis, præter Franciscum Carrarium, Patavii dominum, & Marchionem Estensem, novi cæsaribus partes secutus est nullus. Neque hos ipsos amor in Rupertum, sed Galeatii terror commoverat. Bonifacius IX, duos inter æmulos Neapoleos reges semper ambiguus, in folio ipse suo vacillans, a Gallis, Britannis, Hispanis, aliisque non agnitus, tristem Romæ transigens vitam, cæsaribus adventu tempora lætiora speravit.

§. V.

(q) *Paulus Jovius in elogiis* Lib. II, pag. 48. ;

(r) *Flavius Blondus* decadis 2 lib. 10, pag. 389. *Muratori Annali d' Italia* tom. IX, pag. 2.

§. V.

Hic rerum Italicarum status, quum secundo imperii anno Expeditionem Romanam susciperet Rupertus; undequinquaginta nis apparatus. ætatis annos tum natus. Transitus in Italiam per Tirolensem comitatum suscipiendus cum esset, Rupertus Februario jam mense cum Leopoldo, Austriæ duce, foedus inivit, quo hic aperturæ jus omnium castrorum suorum concessit. (s)

Primum belli impetum in se conversum iri, cum intelligeret Galeatius, Hermannum, imperatoris protomedicum, corripit, domino suo ut pararet venenum, eumque cum principibus filiis tolleret e medio. Petrus de Tusimano, Galeatii medicus, Hermanni ex academia studiorum amicus, rem occulte tractavit, sed detectum fuit scelus Sulzbaci, die 20 Aprilis, per Johannem de Oberburg, familiarem Hermanni, ex Italia reducem, criminis conscium, qui suspicione suborta sine tormentis rem omnem aperuit. Sextiduo post cæsar ipse literis Ambergæ datis hoc facinus Florentinis & Carrario perscripsit. (t)

Suscipiendæ expeditioni constitutus erat mensis September, quo omnes undique copiæ convenirent Tridentum, ubi & ipse cum exercitu suo Rupertus comparuit, Johanne atque Ottone filiis, Friderico, Noribergæ Burggravio, fratre Elisabethæ imperatricis comitatus, quæ & ipsa comes fuit cæsaris mariti. Palatinus exercitus constitit lanceatis equitibus quinquies mille; præter alios mille non lanceatos, præter pedites & sagittarios. (u) Reliquæ electorum, principum ecclesiasticorum & secularium, ut
&

(s) Instrum. extat in registro Ruperti mf. tabularii electoral. Palat. fol. 51, num. 4.

(t) Extant apud *Martene* tom. 1, pag. 1653.

(u) Ita ipse Rupertus scribit in commentario pro magistro Alberto ad papam, apud *Martene* tom. 1, pag. 1670.

& civitatum auxiliares copiae ex Rhenanis, Westphalicis, Franconiae Suevicaeque partibus collectae, numerosum composuerunt exercitum, cui quinque millia Austriacorum Leopoldus adjunxit. Accesserunt denique Italicorum equitum peditumque fere sex millia, quae Carrarius, pater & filius, per intervalla, Tridentum Brixiamque adduxerant. Horum maxima pars a pontifice (x) & Florentinis submissa, quibus equites quoque suos Carrarius addidit. Exercitum omnem ad triginta quatuor millia ascendisse Gatarus scribit. (y) Galeatii exercitus vix dimidiam caesareani complevit. Rupertus quatuor heraldos cum litteris Brixiam ad Galeatium misit, qui superbe respondit. (z)

§. VI.

Gesta ad
Brixiam,

Clarigatione belli facta caesar Tridento in Italiam sua castra promovit, mense Octobri, (a) eaque opportuno in loco posuit, Brixiam inter atque lacum Benacum. Brixiae Galeatius imposuerat praesidium, viris fortibus constans; ab illius urbis salute suam arbitratus pendere. Rupertus ad gerendum contra Italos bellum Italici quoque generis ducem, facinoribus heroicis clarum, constituendum esse prudenti consilio censuit. Constituit Franciscum Carrarium, cujus indubia in caesarem fides Leopoldus Austriacus, cognomento Superbus, alti & turbidi

(x) Auxilium papa Ruperto promisit litteris apud *Martens* tom. 1, pag. 1669.

(y) *Murat. scriptor. Ital.* tom. xvii, p. 839. *Poglus hist. Florent.* Lib. III, pag. 282, apud *Murator.* tom. xx.

(z) Litteras utriusque dedit Gatarus ap. *Murat.* l. c. Adde *Corio historia di Milano* part. iv, pag. 557. Alias Ruperti ad Galeatium litteras, quae has praecesserant, vide ap. *Martens anecdot.* tom. 1, p. 1677.

(a) *Ammirato hist. Florent.* tom. 2, lib. 16.

bidu ingenii princeps, rem tulit indigne. Iræ hinc, similtates & odia, infelicis rerum successus origo & causa. Carrarius in quatuor agmina divisit exercitum, quorum unum Burggravius duxit; alterum Leopoldus; tertium Jacobus Carrarius, filius Francisci.

§. VII.

Ad urbem Brixiam hæc dum ita parantur, Facinius canis, Pugna. equestribus virtutibus nulli facile secundus, cum sex millibus equitum Itatorum ex urbe erumpens, magno furore cæsareos aggressus est die 17 Octobris. Initium pugnae, more illorum temporum singulari certamine fecerunt exercituum ductores. Theodorus, Monferrati marchio, primo congressu Burggravium, cæsaris affinem, lancea sua dejecit ex equo. Agmen ejus commotum.

Leopoldus cum Austriacis suis prodiens, a Carolo Malatesta, Arimini domino, equo dejectus, captus est & deductus in urbem. Territi recedunt Austriaci. Sed Malatestam, Leopoldi victorem, Jacobus Carrarius vicissim præcipitavit ex equo; ambiguum proelium ex parte restituens. (b) Cæsareanorum ordines hinc inde turbati. At successibus suis non inquit Facinius; capto Leopoldo victorem se credens, rediit in urbem.

§. VIII.

Ruperti exercitus acies, quam ipse duxit, firmo pede Proditio. stetit, neque castra mutavit. Leopoldus tertio post die salvus & liber, inexpectatus ex urbe ad cæsarem rediit, quem captivitas ejus valde afflixerat. Cæsar reditu Leopoldi lætus, mox stupens, rescivit, eum a Galeatio tam liberaliter & tam promte

Tom. II.

C c

dimif-

(b) *Gatarus* pag. 841.

dimissum, ut proderet Germanos. Anonymus nobilis, literis ex urbe Brixia missis, Carrarium monuit, ut sibi a Leopoldo caveret. Hic enim, libertatem ut obtineret, Galeatio promiserat, se. reduce in castra procuraturum, ut Carrarius cum filio captivus adducatur in urbem. Proditio hæc omnia cæsaris intervertit consilia, (c) qui Carrarium cum Italis suis sine mora Patavium redire iussit, ut evitaret periculum, urbemque hanc contra insultus Galeatii defenderet, quæ eo cum copiis absente patebat. Leopoldus autem, spe sua deceptus, cum Austriis profectus est domum; (d) Cæsar retrogressus Tridentum. Commeatus penuria, hiemsque jam instans cœgerunt eum, auxiliares principum & civitatum copias, ut in Germaniam remitteret; nonnisi Palatinos suos, sex millium numero, pro custodia retinens.

Brixianam hanc pugnam velitationem non proelium appelles, cui nonnisi prima interfuit acies. Altera, quam tenuit cæsar, mansit intacta. (e) Par viribus si fuisset consilium, victor evasisset Rupertus, iudice Poggio. (f)

§. IX.

Germani
incanti.

Sed temeritas & audacia ducum Germanici exercitus, non ad bellum, sed ad victoriam festinantium, infecuta inter eos

(c) Diserte hæc perscribit *Gatarus* pag. 839. *Poggius* in *hist. Florent.* lib. III. ab animi corrupti suspicione immunem Leopoldum non fuisse fatetur. Francisci hujus Carrarii pater a Galeatio aliquot ante annos jam fuerat captus, capta Patavio. Sed Franciscus hic noster tum evaserat. *Platina* in *vita Urbani* VI.

(d) Bonincontrius audaci & impetuoso Leopoldi superbi animo malum expeditionis Rupertinæ eventum adscribit.

(e) *Sozomenus* tom. XVI, *Muratorii*, pag. 1173.

(f) *Hist. Florentinae* lib. III, pag. 282.

eos discordia, ac superveniens Leopoldi perfidia omnem expeditionis impediverunt successum. Afferit enim Poggius, Germanos absque ordine & militari disciplina vagatos incautius, a Galeatianis in sua castra repulso, tam facile, ut Galeatii exercitus si eos profecutus fuisset, cæsareanum perdidisset. Sed Rupertus fortuna, eodem iudice poggio, omnem, si paucos excipias, servavit exercitum. (g) In singularibus vero certaminibus ducum Germani, quod succubuerint Italis, Leonardus Aretinus, coætaneus Poggii, hanc prodit rationem, quod Itali cataphractati versatiles equos, continuis pugnis exercitatos, habuerint, quum Germani nonnisi pectoralia & loricas leviores ac hastas amentatas habuissent. (h)

§. X.

Quæcunque infelicis pugnae fuerit causa, Rupertus Florentinorum & Carrarii hortatu Tridento non retrogressus est domum, sed in Italiam per Trevisanum agrum progressus Patavium; quam urbem die 18 Novembris magna pompa intravit; spe semper nutritus, Venetos, quibus exosa quoque fuit Galeatii tyrannis, tandem accessuros ad foedus. Patavii cum versaretur cæsar, novas, sed modicas, auxiliares Florentinorum copias ei adduxit Mutius Attendulus Sforzia, ex antiquo agri Faventini Galliae togatae oppido Cotignola oriundus, cujus filius Franciscus, extinctis Galeatiis, in Insubrico successit ducatu, quem ad posteros transmisit. Mutio præmium tesseraeque virtutis, Leo Palatinus, auro tinctus, pro insignibus a Ruperto concessus. (i)

C c 2

§. XI.

(g) Poggius lib. XII, pag. 242. Antoninus Florent. in chron. part. 3, pag. 449.

(h) Delaytus apud Murator. pag. 947.

(i) Bonincontro apud Murator. pag. 84. Jovius in vita Sforziae cap. 18,

§. XI.

Venetiis.

Post aliquam apud Patavinos moram cæsar Venetos invisit, die 10 Decembris urbem ingressus : Michael Steno, dux omnisque senatus cum Bucentauro suo, centum remis instructo, in occursum ejus venerunt. Quinquiduo post & imperatrix advenit. Hiemem Patavinos inter Venetosque Rupertus divisit; per intervalla duos fere menses apud Venetos transigens, sed ab illis nihil obtinens opis. Mense Aprili anno 1402 Venetiis discessit cum conjuge & filiis, atque Heidelbergam rediit; unde octo ante menses fuerat profectus; spe plenus. (k)

§. XII.

Reditus in
Germ.

Post cæsaris ex Italia discessum Palatinæ copiæ, quinque vel sex millium numero, per Trevisanum agrum Patavio in Germaniam redierunt. Nec silentio transeundum, quod Ruperto in ipso sui reditus itinere nunciatum est, sagittarios bis mille, quos *arcerios* (l) vocabant, ab Henrico Angliæ rege ei in auxilium missos, versus Italiam iter parare. Rupertus Bruneckio, quod Brixiani episcopatus oppidum est, litteras scripsit ad Anglum die 24 Aprilis, quibus animum gratum testatus, petit ab eo, ut arcerios revocet. (m) Ludovicus, Ruperti filius, & in electoratu successor, tribus post mensibus Blancam, filiam Henrici IV, duxit uxorem, id quod patris & filii litteræ ad Anglum nos docent. (n)

§. XIII.

(k) *Gatarus* loco alleg. *Antoninus Florent. chron. part. 3, p. 449 sq.*

(l) *Archers*. Milites cum sagittis, quod militum genus apud Anglos florebat. Pro *arceriis* subinde scripserunt *arteriis*.

(m) *Martene Anecdotor. tom. 1, pag. 1700.*

(n) *Ibid. pag. 1701.*

§. XIII.

Post hæc nemo non mirabitur Antonii Sabellici, qui jussu ^{Errores} fenatus historiam Venetam scripsit, ut & Petri Justiniani, ^{scriptor.} Veneti senatoris, temeritatem, qui ausi sunt scribere, Rupertum a Galeatio victum, omnibus fere copiis exutum, trepide se recepisse Tridentum. (o) Nec minus veritati contrariantur scriptores Germani, qui infelicem Italicæ expeditionis successum Bonifacio IX & Florentinis attribuunt. (p) Electionem Ruperti probavit pontifex, Romanam ei obtulit coronam, modicumque auxilium. Sed qui potuit armis aut opibus potenter succurrere Ruperto; ipse indigus opis; ille qui nec a Gallis, nec ab Anglis, nec ab Hispanis pro pontifice agnitus; qui cives suos Romanos libertatis cupidos sibi semper contrarios expertus est; (q) qui Ladislaum, Neapoleos regem, Hannibalem alterum, semper vidit ad portas. Et tamen a pontifice missum est Ruperto auxilium.

In numero copiarum, quas Carrarius filius cæsari Brixiam adduxit die 15 Octobris, fuerunt etiam ex marca Anconitana adductæ; (r) in qua jam tum pontificis magna fuit auctoritas.

Cc 3

Nec

(o) *Sabellicus hist. Venetæ* dec. 2, lib. 8, pag. 444. *Justinianus historiae Venetæ* lib. vi, pag. 97. Ille ab initio, hic versus finem seculi XVI decessit.

(p) *Gobelinus persona*, Paderbornensis presbyter, tum vivens, in *Cosmodromio* ætate VI, cap. 70. *Mutius in rebus germ.* lib. xxvi. Quos *Pareus* in *hist. Palatina*, *Struvius* in *hist. Germ.* in vita Ruperti §. 5 alii que secuti sunt. Pareus res gestas Ruperti exponens & facta & tempora turbat. Falsa sunt, quæ de Johanne, Moguntino archipræsule, a Ruperto parricidii damnato; falsa, quæ de Moguntia per Rupertum capta; falsa, quæ de Moguntino porro, expeditionem Ruperti in Italiam impediende, narrat.

(q) Platina in Bonifacio IX.

(r) *Gatarus* pag. 841.

Nec Florentinis, Galeatiano duodecim annorum bello exhaustis, fatis opum supererat, tantam belli molem ut in se soli susciperent; suscepturi cum aliis, si focios invenissent, quos cæsare ex Italia recedente invenerunt.

§. XIV.

Foedus
Italicum,

Enimvero post Ruperti in Germaniam reditum Veneti, Florentini, Bononienses, Estenses, Mantuani, Ariminenses contra Galeatium inter se foedus inierunt, (s) quod cæsare præsentem nunquam inivissent. Nullus enim erat eorum, qui non aliquas jurium regionum partes ad se traxerat. Invisa fuit omnibus Galeatii tyrannis; sed periculosius videbatur, cæsarem juvare, regia sua Italiæ jura qui tandem reposcere potuisset. Sed quinto post Ruperti reditum mense, qui fuit September, Galeatius decessit, die 3 Septembris. Italia patuisset Ruperto, si mors hæc in illud tempus incidisset, quo Rupertus cum exercitu suo prope Brixiam steterat. Veneti periculoso liberati vicino, tribus post annis Patavium, Veronam, Brixiam occuparunt, & ab eo tempore retinuerunt. Franciscus Carrarius, Veronam aggressus, a Venetis captus, apud Venetos in carcere periit. (t) Filius ejus Jacobus, in Germaniam fugiens, a Ruperto benigne exceptus est. (u)

§. XV.

Expedi-
tio altera
prohibita.

Galeatii mors superiorem Italiam liberavit terrore, quem dominatus ejus incusserat. At inferiorem Italiam terrere non desiit

(s) *Justinianus in historia Veneta* lib. VI, pag. 97. *Corio hist. di Milano* part. IV, pag. 561.

(t) *Panvini antiquitatum Veron.* lib. VII, p. 215.

(u) *Justinianus rer. Venetar.* lib. VI, pag. 97.

desiit Ladislaus, Neapoleos rex; ipsi inhians Romæ & universæ Hetruriæ (x) periculosum hostem ut coerceret Bonifacius, ad novam expeditionem Italicam, biennio post primam, invitavit Rupertum, eumque in finem Germanici & Belgici cleri decimas eidem concessit. (y) Sed pontificis decreto Germaniæ totius se opposuit Clerus. (z) Unde initia fuerunt omnia novæ expeditionis consilia, cui suscipiendæ non suffecissent decimæ cleri, si vel suas palatinas opes Rupertus junxisset; qui potentiores Germaniæ electores, Wenceslaum cæsarem depositum, Brandenburgicum & Saxonem adversarios expertus est; quibus Austriæ dux quoque nuper se junxerat; ex Italia redux ad Wenceslai partes transgressus; qui Ruperto, quos potuit, (a) inimicos concitavit; quibus & Moguntinus elector se denique adjunxit. Scriptores non pauci sunt, qui Austrio Rupertum deferenti, in reditu ex Italia socium electore Moguntinum adjungunt. (b) Sed cæsarem in Italiam non comitatus est Moguntinus.

gun-

(x) Decennio post Galeatium obiit quoque Ladislaus rex, cujus mors Florentinis salutaris. Ille enim Roma, Senis, aliisque Hetruriæ urbibus occupatis jam imminebat Florentiæ. Florentini, eo mortuo, Aretium, Pisas, Cortonam, Liburnum, Pulcianum montem suæ ditioni subjecerunt. *Machiavell. hist. Florent. lib. 3. fin.*

(y) Bonifacii IX Bulla data est Romæ kal. Octobr. anno pontificatus XIV, qui cum aer. vulg. 1404 convenit.

(z) *Chronicon Belgicum magnum pag. 373.*

(a) Pisanos atque Senenses contra Florentinos instigavit Leopoldus, quod hi faverant Ruperto. *Gatarus pag. 846.* Ferox Leopoldi ingenium Thomas *Ebendorfer*, Austrius, qui cum propius noverat, descripsit in *chron. Austriae lib. 3, p. 841.* Extet apud *Pezium scriptor. rer. Austr. tom. 2.*

(b) *Bonincontrius annal. pag. 84. Poggius hist. Florent. lib. 3. Antoninus chron. part. 3, pag. 449. Cavitellus annal. Cremon. in thesauro rer. Ital. tom. 3. Ex Germanis Mutius rer. Germ. lib. 26. Struvius hist. germ. in Ruperto §. 5.*

guntinus. Amicitia ejus cum Ruperto ad annum usque 1406 inviolata duravit. (c) Alii Coloniensem electorem pro Moguntino substituunt; in sua quoque opinione decepti. Colonienfis constans fuit cæsaris amicus. In hoc Italicarum & Germanicarum rerum statu secundam ad Italos expeditionem Rupertus suscipere non potuit. Italica Germaniæ jura, quæ tot cæsares, potentiores Ruperto, recuperare non potuerunt, si ille non recuperavit, num ei vitio veritas.

DISSERTATIO II.

De schismate ecclesiæ.

§. I.

Schisma
ecclesiæ.

RUPERTUS Palatinus in Italica expeditione pariter & in tollendo ecclesiæ schismate fuit infelix. Neutrum ejus culpa. Expeditionis successum Leopoldi superbi impedivit proditio. Alienus patrum concilii Pisani a Ruperto animus causa fuit non pacatæ ecclesiæ. Clemens v, ob turbas Italicas, in dies auctas, an. 1305 pontificiam sedem Roma transtulit Avenionem. Gregorius xi, post septem decennia rediit Romam; anno sequenti Avenionem rediturus, nisi eum fata prævenissent. Orta inde electio duplex. Urbanus vi Romæ, Clemens vii fundis in latio, a sua

(c) *Joannis* in not. ad *Serarium rer. Mogunt.* tom. i, p. 723. Moguntinus elector Johannes ex Nassoviæ comitibus Fridericum, Brunswici ducem, anno 1401. Novembris initio in aula sua ipse investivit de feudo, adeoque tum non fuit in Italia, *Serarius rer. Mogunt.* tom. i, pag. 717. Imo & Januario mense anni sequentis literas dedit ex palatio suo ad socios pacis publicæ apud Westphalos. *Gudeni cod. dipl. Mogunt.* tom. 4, p. 7.

sua uterque cardinalium factione , electus est. Clemens Avenionem repetiit ibique perstitit, ut & successor ejus, Benedictus XIII usque ad tempus, quo eum deposuit Constantiense concilium. Urbanus VI autem, ejusque successores, Bonifacius XI, Innocentius VII & Gregorius XII perstiterunt Romæ. Pontifices Avenionenses a Gallis, Hispanis Britannis agniti sunt. Itali, Germani, Poloni, Dani, Sueci, Hungari atque Bohemi agnoverunt Romanos.

§. II.

Ecclesiasticum hoc schisma, quod ultra quadraginta annos Gallorum duravit, præ omnibus extinguere studuit Gallia; quem in finem ^{studium.} rex Carolus VI Wenceslaum cæsarem a. 1398 ad colloquium Rhemos invitavit. Wenceslaus advenit, sed de ecclesia, ut de imperio, parum sollicitus, re infecta in Germaniam rediit. Biennio post infecuta est exauctoratio Wenceslai, cui tamen Gallia semper adhæsit; contraria Ruperto; qui antequam eligeretur cæsar, diffidentia plenus jam fuit in Gallos. Extant litteræ, quas ille ad Wenceslaum imperatorem, in campaniam ad Carolum VI proficiscentem, perscripsit, in quibus eum monet, ut a Gallorum sibi artibus caveat. Memorat in his literis Rupertus, cardinales, qui Clementem VII elegerant, Carolo V, Gallia regi viduo, papalem obtulisse coronam, ut huic impositus solio imperialem coronam in filium successorem posset transferre. At Gallia regem recusasse oblata, quod in brachio sinistro læsus, sacrificium missæ non celebrare potuisset. Addit Rupertus Gallos ab Henrici VII imperatoris temporibus cæsareæ dignitati inhiasse. (d) Quidquid hujus rei sit, pro recuperanda

Tom. II.

D d

randa

(d) Epistola Ruperti ad Wenceslaum extat apud *Martene thesaur. Anecd.* tom. II, pag. 1174.

randæ ecclesiæ pace Gallia , & in ea Lutetiensis studiorum universitas præsertim laboravit ; varios excogitans modos , quibus schisma tolleretur.

§. III.

Remedia
quæ sita.

Placuit ab initio , ut in concilio nationum discuteretur , cuius pontificis sit præferenda electio. Difficilius hoc cum videretur remedium , proposita sunt alia. Visum est , ut vel alter pontificum , vel etiam uterque , dignitatem deponeret , aut utriusque obsequio renuntiaret ecclesia. Hæc dum agitantur , antipapas inter occulte conventum est , ut neuter abdicaret. (e) Sed & inter se convenerunt utriusque partis cardinales , ut pontificibus , quibus hucusque adhæserant , valedicerent , & ad electionem novi , ab universa ecclesia agnoscendi , capitis procederent.

§. IV.

Delibera-
tiones de
concilio
Pifano.

Civitas Pifarum , quæ ante triennium , a Florentinis Galliarum tum amicis , occupata , celebrando concilio opportuna præ aliis visa est , propter maris viciniam. Opportuna præsertim Gallis , qui præcipui fuerunt synodi convocandæ auctores , majoreque præ ceteris rationibus numero comparuerunt. Rupertus , inter has circumstantias rerum , Bacharaci & Noribergæ cum electoribus solis primum , dein Januario mense a. 1409 in comitiis , Francofurti habitis , deliberavit de synodo , quam cardinales , veluti sedē vacante , convocaverant Pifas , quid tandem statuendum. Patres Pifani ad Francofurtensia comitia migrant Landulphum cardinalem Barensem. At Gregorii XII nomine aderat Antonius Corarius , nepos ejus , quem purpura induit.

(e) *Niem de schismate* lib. 3, cap. 40.

induit. Major pars procerum Germaniæ favebat Landulpho, concilii legato. At Rupertus, cum electore Trévirensi, cum ducibus Bavarizæ, paucisque aliis Corrarium fovit, eumque biduo post adventum, Francofurto Heidelbergam secum abduxit. In comitiis ergo nonnisi generatim decretum est, mittendos ad Gregorium XII & ad concilium legatos, (f) pro ecclesiæ pace.

§. V.

Missi sunt archiepiscopus Rigæ, cum WORMATIÆ, Verdæ-Legati eo que episcopis. Legationis orator fuit Conradus de Sufato, canonicus Spirensis. Legati hi ante omnia adierunt Gregorium, qui apud Carolum Malatestam tum degebat Arimini. Promisit ille legatis, suam se depositurum dignitatem, si id exigat ecclesiæ pax. (g) Ruperti Legati Arimino profecti sunt Pisas, ubi die 25 Martii an. 1509 factum est concilii initium. Hi Tertio concessu quum advenissent, in peculiari primum conventu dein publice in concilio die XVI Aprilis auditi, dubia viginti quatuor (h) proposuerunt petieruntque, ut concilium Pisas, Bononiam, vel Mantuam vel ad forum Livii transferretur; tumque Gregorium XII pontificatui renunciaturum esse, si id jussissent patres. (i) Petito huic subjunxerunt legati, Rupertum

D d 2

in

(f) *Niem* l. c. cap. 39. Monachus san-Dionysianus apud *Labbeum concilior.* tom. XI, part. 2, pag. 2233.

(g) Gregorius id jam promiserat, cum fuisset electus. *Leonardus Arctim.* lib. II, epist. 3.

(h) Dubia hæc vide apud *Hermannum von der Hardt auctor. concil. Constant.* tom. II, pag. 106. *Dachery Spicileg.* tom. IV, pag. 262 & apud *Labbeum concilior.* tom. XI, parte 2, p. 2165 ubi & responsiones ad dubia, quas Petrus de Ancharano composuit & legit.

(i) *Niem de schismate* lib. III, cap. 39.

in una trium istarum urbium sese juncturum concilio, novus ut eligatur papa, si sefellerit Gregorius; sed ita juncturum, ut cæsarem concilio interesse intelligant. Propositiones has displicere concilio cum vidissent legati, quinto post adventum die discesserunt, cæsaris nomine contra concilium protestati (k).

§. VI.

Causa
discessus.

Aperta patrum Gallorum in Wenceslaum propensio, causa repulsæ præcipua fuit atque discessus. Firma stabat a multis annis Valesiadum Gallix regum cum imperatoribus Lucelburgicis amicitia. Johannes, Bohemix rex, Caroli IV imp. pater, Beatricem Borboniam, Ludovici IX, regis Gallix, proneptem, duxerat uxorem. Bona, Johannis hujus filia, nupsit Johanni, Philippi Valesii filio. Bohemus generum suum & patrem ejus tanto profecutus est amore, ut in Cressiaca contra Anglos pugna sanguinem suum pro illis generose profuderit. Frater Bonæ, Carolus mox Cæsar, eidem interfuit proelio, amicus Gallix constans, cujus regem, Carolum V, paucis ante mortem suam annis invisit. Wenceslaum imp. Caroli IV imp. filium & successorem, undecim ante concilium annis a Carolo IV rege Rhemis exceptum supra jam diximus. Post hæc nemo mirabitur, Wenceslai depulsionem a folio displicuisse Gallis, qui de propenso in se Ruperti animo dubitare poterant, de Wenceslai amicitia securi, Rupertus itaque cum mense Aug. 1402 Johannem Dalbergium, præfectum Oppenheimensem, in Galliam mitteret, ut fœdus offerret, filiamque regis pro filio suo Johanne in matrimonium peteret, repulsam tulit.

§. VII.

(k) Protestatio legitur tomo XI, *concilior. Labbei* col. 2238. Discessum legatorum memorat monachus San-Dionysianus, *ibid.* p. 2233.

§. VII.

Rupertus literis mox ad civitates Germaniæ perscriptis ^{Ruperti gravamina.} queritur (1) cardinalem Barensem, jam ante concilii initium, a patribus Pragam fuisse missum, ut de exauctorandis duobus pontificibus cum Wenceslao tractaret. Nec minus est certum, patriarcham Antiochenum & episcopum Misnensem, ut & baronem de Bonecio, Wenceslai legatos, æque ac Rupertinos, a patribus Pisanis admissos fuisse & agnitos, at nullam in concilio exercuisse potestatem. (m) Unde Rupertinis aditus omnis fuit præclusus. In hac rerum perturbatione Rupertus ad Germaniæ principes scripsit, ut eorum sibi consilia expeteret. (n)

§. VIII.

At Patres Pisani, tenaces propositi, die 5 Junii, sessione ^{Papæ novi Pisis electio} xv, duobus antipapis depositis, (o) Alexandrum v, per xxiv cardinales electum proclamaverunt pontificem, qui vigesimæ sessioni præfedit; a scriptoribus appellatus papa Pisanus; qui rejecto Ruperto, Wenceslaum cæsarem agnovit, (p) archiepiscopum Moguntinum legatum natum in sua provincia constituit, aliorumque procerum Germaniæ amicitiam sibi conciliavit. Moguntini & Coloniensis archiepiscoporum legatos interfuisse

D d 3

con-

(1) Apud *Wenckerum* in *apparatu archivorum*. pag. 299.

(m) In actis concilii Pisani legati hi Wenceslai diserte ponuntur; nulla vero Rupertinorum mentio in catalogo concilii apud *Labbeum* tom. xi, part. 2, p. 2214.

(n) Rupertinæ hæc literæ, memorabiles omnino in schedis Georg. Chr. Joannis Biponti huc usque latuerunt. Dissertationi eas nostræ subjungimus, adde *Gobelinum personam* in *Cosmodrom.* cap. 89.

(o) Depositionis formulam vide apud *Niem de schismate* lib. III, cap. 44.

(p) *Ibid.* cap. 53.

concilio, catalogus patrum ejus apud Labbeum nos docet. Verum enim vero nova hæc pontificis novi electio non minuit ecclesie mala, sed auxit. Occidens Christianus, capita inter duo tam diu divisus, synodo Pisana tria accepit. (q)

§. IX.

Ruperti
mors &
elogium.

Quæ infecuta sunt mala, Rupertus prævidit magis, quam vidit, brevi post concilium finitum mortuus, cui si concilium aures præbisset, ecclesie, si non universæ, Germanicæ saltem, quæ duos inter pontifices, Avenionensi plane rejecto, suspensa hæsit, quietem redditam fuisse nulli dubitamus, synodo Pisanæ culpa omnis tribuenda est, absolvendus Rupertus. Valeant ergo Theodorici a Niem contra eum querelæ & objurgatoria oratio, cui hoc rubrum inscripsit: „ Exhortatio ad dominum Rupertum, regem Romanum, ut surgat a diuturno „ somno, quodque ut hoc extirpetur schisma ab ecclesia, & „ jura imperii refoventur, intendat. „ (r) Niemius Paderbornensis origine fuit, literarum sacrarum legumque doctrina clarus; Gregorii XI, Avenione qui Romam rediit, ut & quatuor ejus successorum triginta per annos scriba; acer & vehementis morum sui temporis censor; per aliquot annos Verdensis episcopus. Injuste profecto Niemius ignavie & avaritie Rupertum accusat, conquerens, eum in palatinatu suo tranquillum aspiciere mala, quæ a triginta jam annis invaluerant,

(q) Contra Pisanum concilium Gregorius XII indixit foro Julienne, in civitate Austriæ, de quo vide *Bernh. Maria de Rubeis* in *monumentis ecclesie Aquilejensis* pag. 1013. Benedictus XIII contra idem concilium Pisanum indixit Perpiniense apud Aragonas, de quo *Aguirre* in *conciliis Hispaniæ* tom. v, p. 311.

(r) Scriptum hoc extat in libro, quem Niemius appellat *nemus unio-nis*, tractatu VI, cap. 32.

rant, adeoque diu, antequam solium ille conscendit, qui malis allaturus remedium, rejectus est, nec agnitus cæsar.

§. X.

Restaurandæ pacis tum civilis tum ecclesiasticæ gloriam Ludovicus Sigismundo successori, filioque suo Ludovico Rupertus reliquit. Ludovico huic Palatino, quem vocamus barbatum, Sigismundus concilii Constantiensis tuitionem commendavit & curam, qui tanta cum laude hoc negotium gessit, ut restituta ecclesiæ quies ei non minus, quam cæsari, debeat. Idem enim Ludovicus Alexandri v successorem Johannem, pacis turbandæ causa Constantia profugum, Heidelbergæ primum, deinde in castro Eichelsheim, nunc destructo, prope Manhemium, triennali custodia tenuit, (s) donec Constantiensibus denique decretis morem gessit. Ita filius perfecit, quod perfecisset pater, synodum Pisanam nisi adversam habuisset.

A P P E N D I X

literarum Ruperti ad Principes.

Werbung an die fursten und herren, als von der botschafft wegen unsers herren des kunigs.

Zum ersten sol man yn ertzelen, als unser herre der kunig in vormalis verschriben und ein zeychnis gesant habe, darynne begriffen ist, daz sin erber botschafft zu unserm heiligen vatter dem babst, und auch den cardinalen gein *Pyse* senden wolte, zu versuchen, ob mann sie icht vereinen, und auch alle sachen und gelegenheit suft zu erfahren, so man beste mochte; des habe er also auch sin botschafft gesant, eynen ertzbischoff, zwene

(s) *Seobald. Fabricius in Manhemio p. 27.*

zwene Bischoffe, zwene lerer in der heiligen schrift und in den geistlichen rechten, und einen finen prothonotarien. Die sint zum ersten gein *Rymmel* (t) zu dem babst kommen, und haben den offentlich erwecket, erfucht, und ermanet hefftlich, ernstlich und trefflich, daz er zu der eynikeit der h. kirchen sich ergeben, und dorzu tun, und sich also halten wolte, daz mann merckte, daz an ym kein breft were, und solichen ruff und geschrey die wider yn ufferstanden weren, und sin widerfacher usgeben hetten, mit syme flisse, und mit syme ernste stillen und nyderlegen zu trost der h. kirchen und aller christglaubigen; funderlich der, die in finer und unferm gehorsam bisher gewesen weren, und noch getruwelich und vestlich sin wolten, als verre er dem also nach ginge, als vorgeschriben stet. Dis alles, und noch vil me hant sie ym furgeleyt mit grossen bewegnissen us der schrift, und us der geschicht, heymelich und offentlich, mit solichen reden die sich dann darzu hiefchen.

Item daruff hat der babst offentlich, und auch heymelich geantwort, und sich erbotten uff alle redeliche mittel und wege, damit ein gantz luter eynikeit werden mochte, wann er gern dorumb abtretten, sinen gelubden und eyden nachgen, und alles daz dun wolte, daz er vermochte; und yme were nye tag wol mit dem babstum gewesen. so hede er nye darnach gestanden, noch guden tag darynne gehabt; und er wolte auch die sachen gantzlich in unfers herren des kunigs hende stellen an zyt und an stat wie, wo und wann daz gescheen solte; funderlich nach den wegen und gebotden, als der cardinal von sinen wegen zu Francfurt usgeben hette: mit namen wolte er gerne gein *Furlin*, (u) Bononie, Mantawe, oder ander gelegen stat, da es beyden glich were, kommen zu eyn gemeyn concilio, also daz die cardinale zu *Pys* auch darquemen;

(t) Rimini. (u) Forli.

mecum sæpius de infausto hoc casu collocuta est. Circumfacto quo in pariendo laborabat tempore, per integrum annum & ultra, vehementissimis excruciatâ doloribus graviter ægrotabat. Tribus circiter annis post infelicem hunc casum prima, & subsequente tempore altera quoque vice abortum passa est.

Licet avus meus & optimus pater, præmatura morte mihi proh dolor ereptus, sæpissime huic ægrotæ medicinam fecerint, inter plures eorum mihi relictas autographas observationes medicas, hujus mirabilis casus ulteriorem descriptionem invenire hætenus non potui.

Ex eo tempore, quo ego Heidelbergæ medicinam exerceo, sæpius curationem huic ægræ adhibui. Conquerebatur ordinario de gravissimo dolore abdominis & sensu ponderis, ac si globus, magnitudine caput infantis æquans, in eo hæreret, pro diverso ægræ situ mobilis. Abdomen alias magis, alias minus tumebat: imminuta abdominis intumescencia, acerbissimus erat dolor, ac si dilaceraretur vesica urinaria, quo tempore non solum urinam reddendi, sed & eundi difficultate laborabat: vehementes capitis dolores, auditus gravitas, pedes œdematosi, borborygmi frequentes, spastici abdominis dolores inolestissimi, respiratio ut plurimum difficilis fere indivulsi fuere hujus mali comites, urina plerumque turbida erat: minimus error in diæta commissus, animique pathemata pessima modo descripta excitabant symptomata & exacerbabant. Hæc erat deploranda valetudinis, pie nunc defunctæ, conditio.

Die secundo Aprilis vocabar denuo ad hanc ægrotam, conquerebatur de vehementissimis doloribus totius abdominis magna virium prostratione: abdomen erat tensum, dolores capitis vehementissimi, respiratio anhela, pulsus parvus & celer. Causa hujus mali satis mihi cognita, symptomatum gravitas & præcipitata jam ætas infaustum morbi eventum minabantur, quod cognatis statim indicavi. Præscripsi itaque aptum ad hoc malum diraque symptomata medicamentum, sed cum maximo

id opere reformidaret, fauciumque dolores impedirent quominus libere deglutire posset, hinc exiguum tantum ejus assumpsit. Symptomata indies ingravescebant omnia, pulsus crebro intermittebat, virium prostratio erat maxima, paucis, omnia in pectus ruebant. Tertio morbi die, qui erat quartus Aprilis versus vesperam ad ultima jam ventum esse testabantur genæ collapsæ, nares acutæ, oculi concavi, pallor labra & nares decolorans, respiratio difficillima, pulsus vix perceptibilis admodum intermittens: tandem altero mane hora sexta placide expiravit animam.

Rogavi cognatos, ut quam primum vita excederet ægra, mihi indicaretur; satisfecerunt petitioni meæ, quod gratus agnosco, nam brevi post mortis ægrotæ nostræ scientem me fecerunt. Corpus ut in lecto servaretur petii, meque statim venturum promisi. Ut haberem qui me in sectione adjuvarent, mecum sumsi chirurgum Heidelbergensem dextrimum Sebastian & juratam obstetricem Heidelbergensem Sebastianin.

Cadaver de lecto ut situm ad sectionem aptum conciliaremus, eximebamus. Abdomen calidum erat, sed extremitates frigidæ & rigidæ, pedes œdematosi, dexter pes lividus, & abdomen in sinistro latere paulo infra umbilicum tumebat.

Consueto more integumenta communia dissecuri: aperto abdomine, omentum versus pelvim retractum observavi, intestina inprimis tenuia inflammata, glandulas fere omnes abdominales induratas; cætera omnia in naturali statu erant. Examinato abdomine eo loco, quo, nondum aperto cadavere intumescencia conspiciebatur, corpus durum apprehendi: sed ne ejus situm mutarem, intestina pro parte in latus dextrum collocabam. Examinato isto corpore duro, id digito secutus sum usque in pelvis cavum,prehendique eam massam mobilem & omento tantummodo adhærentem. Omnia ergo intestina, quantum fieri poterat, ad latus dextrum extra abdomen posui, tumque nullo negotio corpus durum prehendi, nullaque adhibita vi ex pelvis

Cavo

cavo expromsi. Certus quidem eram me in sectione heterogenei quid inventurum, sed stupebam ad aspectum fœtus hujus ossi per tot annos in cavo pelvis detenti. Fœtum osseum, cum adhærente ei omento, thoraci cadaveris imposui, ut locus mihi concedatur ad examinandas alias in abdomine contentas partes; quibus examinatis, nihil plane perversum, nihil a statu naturali mutatum, sola inflammatione excepta, inveni.

Situs fœtus in cavo pelvis hic erat. Vertex capitis fœtus innitebatur vesica urinaria fere penitus vacua, infimum pelvis locum parvum occupante. Os bregmatis sinistrum & pars ossis occipitis utero infidebant. Ipsum fœtus corpus, intestinis undique circumdatum hærebat in parte sinistra abdominis, & ossa innominata fœtus in sinistro latere defunctæ ad distantiam duorum circiter pollicum ab umbilico paululum prominebant; sinistrum latus & pars anterior fœtus dorsum matris spectabant, integrum vero dorsum & pars dextri lateris fœtus, anteriorem abdominis partem. Dorso fœtus & ossi parietali dextro adhærebat omentum per integram fœtus longitudinem; cæterum fœtus libere in cavo pelvis & parte abdominis jacebat, nusquam adnatus.

Ut accuratius examinare possem uterum, cujus situs naturalis erat, illum cum parte vaginæ, ovariis & tubis exsecui, uti & fœtum osseum cum adhærente ei adhuc omento, & mecum domum absportavi. Uterus quoad habitum externum nihil peculiaris monstrabat, postica pars paululum erat inflammata, cæterum eadem fuit magnitudo, crassities, densitas, quæ vetularum utero naturalis est; bina ovaria illæsa, tubæ fallopianæ integræ, imò lasciniæ conspiciebantur. Orificium quoque uteri nihil monstrabat, quod a statu naturali recederet, præter vesiculam oblongam, ad duas circiter lineas extra uteri orificium prominentem, cujus longitudo erat quinque ferme linearum, crassities duarum linearum, coloris erat ex albo rubicundi, qui partim dependebat a membranula dictam vesiculam
for-

formante , partim ab intus contento humore : turgida quæ antea erat vesicula , post aliquot dies , servato utero in spiritu vini , flaccida apparebat. Utero aperto , omnia plane naturalia conspiciebantur , & in nulla parte cicatricis ne quidem vestigium inveni. Oculatos testes hujus rei habui omni exceptione majores , viros excellentissimos von Oberkamp , Gattenhoffium & Schoenmezlerum clarissimos in universitate Heidelbergensi medicinæ professores , collegas conjunctissimos , quibus uterum propter observationis infrequentiam monstravi.

Cognita uteri conditione , examinavi foetum osseum , cujus dorso & dextro bregmatis ossi tam firmiter adnatum erat omentum , ut præsentem clarissimo Gattenhoffio scalpello illud separare deberem.

Figura foetus , cum clarius pateat ex iconibus , quam descriptione , hinc in ea describenda non multus ero. Caput est magnum , a compressione ossium calvariæ acuminatum. Os frontis bifariam sectum. Os occipitis , parietalia & temporum ossa facile distingui possunt , quorum substantia non tenuis , ut in infantibus junioribus esse solet , sed firma ossea est , neque in hisce calvariæ ossibus punctum ossificationis distingui potest. Fontanella & oculorum orbitæ membrana erant obductæ , in quas autem acicula facile penetrabat. In sinistro latere spatium inter basin maxillæ inferioris & claviculam densa membrana clausum erat , per quam membranam quoque acicula satis profunde intromitti poterat. In dextro latere modo descriptum spatium non membrana impletum uti in altero latere conspicitur , sed caput cum dorso non interruptam convexam constituit superficiem osseam. Humerus , radius & ulna , ossaque metacarpi & phalanges digitorum in utroque latere accuratissime distingui possunt. In thorace nonnullæ elevationes costarum partes clare referunt. Tota longitudo foetus a vertice capitis ad usque caput ossis femoris sinistri est quinque pollicum Rhenolandicorum cum tribus quartis partibus , pedes enim non recta dependent , sed genua ver-

sus

fus thoracem foetus repanda , illique quasi adfixa sunt : addita pedum longitudine, integra foetus longitudo est decem pollicum cum una quarta parte. Omnes foetus partes exteriores non lapideae sunt, sed durae ossae, exceptis nonnullis foraminibus in figuris assignatis, quae membrana erant clausa. In latere sinistro abdominis conspicitur apertura oblonga satis magna, formata ab osse femoris & cubito sinistro & infra a crista ossis ilei, quae apertura repleta videtur carnosae substantia, in quam similiter acicula facillime infigi poterat. Striae rubicundae passim conspiciebantur, fibris vel portionibus carnosis haud multum ab similes, quae autem, nunc induratae, flavescerentem ut reliqua substantia habent colorem. Externa ossium facies non ubi-vis laevis est, sed hinc inde aspera & quasi rugosa; membranula periostei ad instar nonnullis in locis ossa cingebat, quae autem facili opera detrahi poterat.

Interna foetus substantia qualis illa sit, accurate determinare nequeo, nolui enim eum, antequam delineatus fuerit, ne externa figura turbaretur, ferra dissecare, postea per aliquot menses non in manu mea fuit: interim cum aciculae in loca, ubi aperturae externae sunt, nullo negotio infigi poterant, internam substantiam non penitus duram fuisse, evidens satis est: & jam si concutitur foetus, sonum edit, ac si corpus quoddam duriusculum & similia alia minora in eo continerentur.

Eo die, quo exsecui foetum, pondere aequabat accurate libram unam, postea vero exsiccatum magis foetus viginti quinque semuncias cum duabus drachmis pendebat.

Et haec est singularis hujus observationis rarissimique foetus historia.

Merito observationem hanc singularem, foetumque rarissimum dici posse arbitror, cum frustra quis, quantum quidem mihi haecenus constat, similem quaeret. Prostant quidem varia exempla foetuum per longum tempus in utero gestatorum.

Sic Cl. de la Vergne (c) historiam feminæ refert, quæ foetum ad viginti novem menses in utero gessit. Cl. Morand (d) exemplum refert foetus, qui in urbe Campaniæ *Joigny* per triginta & unum annum in utero materno restiterat. Foetum per quadraginta sex annos in utero gestatum descripsit Cl. Camerarius. (e) Porro notissimi sunt foetus Mussipontanus, Dolanus & Senonensis. Taceo alias observationes ab Avo meo (f) collectas; multas a Camerario (g) Hankophio (h) & Turckio (i) citatas, plures a Boneto (k) & Th. Bartholino (l) descriptas.

Reliquias foetus per novem annos in utero materno gestatas postea salva matre extractas describit Cl. Schulzius, (m) & anatomicam descriptionem ossium foetus putrefacti in modo citata observatione a Schulzio descripti, exhibet Cl. Martinus. (n)

Neque desunt exempla infantum extra uterum, etiam si non disruptum, in abdominis cavo inventorum.

Sic

-
- (c) *Histoire de l'academie royale des sciences* 1748. p. 108.
 - (d) *Journal de medecine, chirurgie & pharmacie &c. par M. Vandermonde* tom. XIV, p. 440.
 - (e) *In dissertatione Tubingæ 1720. Exstat quoque in Halleri disputat. ad morborum historiam & curationem facient.* tom. IV, pag. 759.
 - (f) *Danielis Nebelii Dissertat. de extractione foetus humani ex utero Heidelbergæ 1713.*
 - (g) In antea citata dissertatione.
 - (h) *Dissertatio de mola occasione molæ ossæ in vetula offigenaria inventæ.* Goettingæ 1746, pag. 10 & 11.
 - (i) *Historiâ mulieris varia ossa per alvum ejicientis.* Reperitur in Halleri *disputat. ad morbor. histor. & curat. facient.* tom. IV, pag. 795 & 797.
 - (k) *Sepulchretum* tom. II. variis locis.
 - (l) *De insolitis partus humani viis.* Hagæ comitum 1740, pag. 7 & 8.
 - (m) *Abhandlungen der königlich Schwedischen academie der wissenschaften* tom. XXIX, pag. 271.
 - (n) In mox citatis *actis suecicis*, eodem tomo, pag. 278.

Sic teste illustri de Monconys (o) Cl. Baudouin, medicus Aurelianensis & ejusdem loci chirurgus. D. de la Forest viderunt mense Aprili 1662 foetum optime conformatum, sed mortuum, repertum in cavitate abdominis inter uterum & intestinum re-ctum ilaeso utero in femina, quae post multos dolores irritos-que in pariendo conatus obierat, posteaque in Nosocomio Aurelianensi cultro anatomico subjecta fuit.

Joannes Bard (p) chirurgus Anglus foetum extra uterum in cavo abdominis haerentem, & putredine jam multum corruptum, incisione facta extraxit.

Varia hujusmodi exempla recenset Cl. Smellie. (q) Plura alia variis in scriptis enumerantur exempla, quorum catalogum hic exhibere longum nimis foret.

Exstant quoque exempla foetuum & molarum crusta lapidea obductarum vel petrefactarum. Sed, quantum novi, nullus adhuc descriptus est foetus osseus per tot annos in cavo pelvis & abdominis tam mire & pulcre conservatus, ut omnes fere ejus partes accurate distingui possint.

Perlustrata jam delineataque quam accuratissime ad naturam externa hujus foetus figura & descripta rarioris hujus observationis historia, internam quoque hujus foetus structuram perspiciendi cognoscendique cupidus, cum ea multum ad observationis illustrationem faciat, foetum serra admodum subtili dissecui.

Admirabilis certe interna structura sequens est. Calvariae ossa firma duraque sunt, crassitiei diversae, plerumque unius circiter lineae; binae tabulae ex quibus calvariae ossa constant va-

F f f 2

riis

(o) *Voyages troisieme partie.* Paris. 1695, pag. m. 457.

(p) *Medical observations and inquiries, by a society of physicians in London.* Vol. II, pag. 369.

(q) *Sammlung besonderer fälle und bemerkungen in der hebammen-kunst.* Altanburg 1763, pag. 56 & seqq.

riis in locis distinguuntur, conspicua huc illuc diploë tabulas separante. Infra hæc calvariæ ossa dura mater satis clare dignoscitur, hæc, uti in statu naturali solet, omnia calvariæ ossa intus investit. Sinus falciformis aperte conspicitur. Tentorium cerebelli seu septum transversale quod cerebrum a cerebello separat, satis est manifestum. In hoc calvariæ cavo conspiciuntur varia frusta, alia minora, majora alia, quæ partim duriora, suffusum splendentem, partim friabiliora albicantem habent colorem, illa forsan corticalem, hæc medullarem cerebri substantiam constituebant; inter hæc frusta passim conspicitur membrana tenuissima, quæ pia mater fuisse videtur. Infra tentorium cerebelli & basin cranii continentur frusta suffusca, simillima iis quæ antea descripsimus. Basis cranii cognoscitur facile, sed ipsa ossa eam formantia, paucis exceptis, ob miram capitis torsionem distingui satis clare non possunt. Inprimis autem in conspectum venit pars petrosa ossis temporum, quam serra accurate dissecui, ita ut canales semicirculares apertæ sint, per quas seta penetrabat. Foramen magnum ossis occipitis cognoscitur tum ex situ, tum ex eo, quod per id in canalem spinæ vertebralis filum tenue metallicum penetraret admodum profunde. Costarum interna facies satis clare apparet, & thoracis sinistra cavitas, in cujus fundo mediastinum, tanquam tenuis exsiccata membrana conspicitur, per quam acicula pertusam introitus conciliabatur filo metallico in cavum thoracis dextrum. Thoracis cavitas a cavo abdominis est distincta per membranam satis densam, quæ sine dubio diaphragma fuit: huic membranæ incumbit firmiterque adhæret portio quadam indurata, quæ forsan pars pulmonis exsiccata est; ceterum hoc thoracis cavum vacuum erat. Mox infra diaphragma conspicitur cavum, quod ventriculus fuisse videtur. Integrum abdominis cavum cingitur peritonæo. Reliquæ portiones admodum induratæ in abdomine contentæ satis certo dignosci non possunt. Canalis spinæ dorsæ pervius erat, & corpora vertebrarum lumborum quoque clare appa-

apparebant. Reliquæ partes ex figura melius quam descriptione patebunt. Et hæc sunt, quæ de interna hujus foetus structura addenda erant.

Tandem coronidis loco etiam adjungendæ sũnt relationes nonnullarum feminarum, quæ historiam hujus partus illustrant. Cum enim audierim esse adhuc nonnullas feminas, quæ facti historiam accurate scirent, illas examinavi, ut, quid quælibet de hoc partu sciret, mihi innotesceret. Quid quælibet edixit, hic adjungo.

Testimonia varia

ad rem hanc illustrandam facientia.

Rosina Kritmännin eine gebohrne *Müllerin* von Weiler am Steinberg, welche 90 jahr und drüber alt ist, sagt das sie schon drei bis vier und funfzig jahr hier wohne, das sie eine gute freundin von der seeligen frau rector *Andräin* gewesen, und das sie oft beisammen waren, auch hätte die frau rectorin ihr ein kind über die tauffe gehoben. Sie wüßte gar wohl, das sie hätte ins kindbett kommen sollen, sie habe aber von dem was vorgegangen nichts gesehen, denn sie feye nicht immer in dem zimmer geblieben, sondern stets ab- und zugegangen, die amme aber hätte gesagt es wäre ein ärmgen oder ein füßgen in der geburt, es hätte es aber niemand gesehen, darauf hätte die amme das ärmgen zuruk geschaffet, das sie das kind bekommen könnte, es wäre aber alles umsonst gewesen, denn sie hätte das kind nicht bekommen. Nicht lange darauf feye viel stinkendes wesen weggegangen, welches sie in das s.v. privet geschüttet hätten, aber dabei feye kein ärmgen oder füßgen gewesen. Nachgehends habe sie ihr bei 20 jahre pflaster gemacht wegen vieler schärfigkeit die durch die mutter gegangen und wundigkeit verursacht hat. Es feye auch die frau rectorin nachgehends eine zeit lang krank gewesen und feye vielerley zeugs von ihr gegangen, wie fleischfäfferen und dergleichen.

F f f 3

Eva

Eva Maria, des hiesigen burgers und schnaiders *Henrich Linckerts* ehfrau, welche 67 jahr alt ist, sagt das sie schon über 30 jahre mit der verstorbenen frau *Andräin* bekannt gewesen seye: sie wisse von ihren umständen nichts, als was die frau *Andräin* ihr selbst mehrmahlen gesagt hätte; nemlich das sie vor 50 jahren und drüber hätte sollen ins kindbette kommen, nachdem sie ordentlich ausgerechnet hatte, es wäre ein ärmgen in der geburt gewesen, welches die amme habe gesucht zurtük zu bringen, welches auch geschehen, die mutter habe sich darauf wieder geschlossen, und es seye kein kind mehr zum vorschein gekommen. Sie seye ein gantzes jahr darauf krank gewesen, und doch wieder zweymahl in gute hoffnung gekommen; das erste mahl nach drittelhalb jahren, und darauf wieder, welche zeit ihr aber nicht bekannt ist, doch seyen die kinder nicht bis zur hälfte gekommen, sondern wieder abgegangen.

Catharina Elisabetha Wallesin von Zweybrücken gebürtig, des hier wohnhaft gewesenen schuhmacher *Walles* hinterlassene wittib, ist 76 jahr alt. Sie kam anno 1716 hieher, sie hat die verstorbene frau rectorin sehr wohl gekannt, und versichert das die frau rectorin ihr den umstand erzehlet habe, es seye aber schon sehr lang, und sie wüste sich nicht mehr recht zu erinnern. Ausser das wüste sie noch gewis aus dem munde der verstorbenen, das sie hätte gebären sollen, hätte aber das kind nicht empfangen, sondern es seye bei ihr geblieben. Anderer umständen wüste sie sich nicht mehr genau zu erinnern.

Anna Elisabetha Franckin von Acheren aus dem Badischen gebürtig, sagt das sie die verstorbene frau rectorin, und auch ihre verwandten in Marburg sehr wohl gekannt hätte: von diesen habe sie gehört, das sie zuweilen mit muttergichtern behaftet gewesen; sie versichert ferner, das ihr die verstorbene frau rectorin zu mehreren mahlen gesagt habe, das sie hätte ins kindbett kommen sollen, hätte aber das kind nicht be-

bekommen können, ob gleich zwey ammen bei ihr gewesen feyen. Sie weis ferner noch gar wohl, das die verstorbene bey dem uriniren öfters große schmerzen gelitten. Nach diesem umstand feye sie über ein ganzes jahr gelegen, und feye, wie sie sagt, gantz ausgezehret. Es feye mit dem geblüt vieles von ihr fortgegangen, und auch sonsten nach und nach, welches öfters stark gerochen hätte.

Catharina eine gebohrne *Trappel* von Nekargemünde gebürtig, des *Valentin Bock* gewesenem schuhmacher zu Nekarsteinach hinterlassene wittib, hat vor 48 jahren bei der verstorbenen frau rectorin gedienet; sie sagt, das sie damahls nichts davon gewußt hätte, das die frau rectorin hätte sollen ins kindbett kommen, denn sie feye noch ein junges mädgen gewesen. Doch versichert sie, das sie meinen seeligen großvatter oft in der nacht hätte hohlen müssen, weilen die seelige frau rectoria öfters vor großen schmerzen ohnmachten bekommen hätte. Sonst wußte sie nichts von dem umstand auszusagen.

Frau *Catharina Elisabetha Dietzin* von Heydelberg versichert, das sie die seelige frau rectorin sehr wohl gekannt habe, und die umstände von ihrer unglüklichen geburt von ihr selbst öfters habe erzehlen hören. So viel sie sich erinnert, soll dieser unglükliche zufall nach einem brand in der stadt, dartüber die verstorbene sehr erschrocken, in dem monath Octobris, (aber das jahr wußte sie nicht mehr) sich ereignet haben. Sie hatte damalen schon ausgerechnet, und über den schrecken bekam sie wehen, es wurde darauf eine amme geruffen, es kam ein händgen auf die welt, wie die amme versichert hat, dieses hat sie zurück geschafft um die wendung vorzunehmen, aber aller mühe ohngeachtet, konnte die amme das kind nicht bekommen. Die frau rectorin war vier tage in nöthen, und mein seeliger großvatter soll ihr öfters zugeredet haben, das sie sich der hülfe eines geschikten chirurgi bedienen solle, dieses wollte sie aber durchaus nicht, denn sie sagte sie wußte das sie nichts in an-


sehung

hung ihres kindes versäumte , denn die amme habe versichert, daß das kind tod seye , und sie empfände es selbst. Nach diesem umstand ist sie 16 monath lang krank und bettlägerig gewesen , sie ist völlig contract worden , hat aber endlich nach und nach wieder gehen lernen. Während diesen 16 monathen und auch noch nach der hand seye durch den s. v. urin allerhand scharfes und unreines zeug , auch zu weilen wie fleischfasserer weggegangen , auch bei der s. v. öfnung habe sie öfters schmerzen gehabt. Der leib und die beine waren meistens dik , wenn der leib dik war , hatte sie weniger schmerzen , aber wenn er nicht dik war , empfand sie die größten schmerzen , so daß sie nicht den harn lassen oder davor gehen konnte. Sie war immer mit starkem kopfweh behaftet und klagte das gehör , starke blehungen , und sagte immer ihr hals wäre wie roh fleisch , sie hatte öfters starke creuzschmerzen , es war ihr öfters brecherisch , vornehmlich morgens frühe , ehe sie was getrunken hatte. Nachgehends hat sie noch zwei böse kindbetteer gehabt , aber die kinder gingen ab , da sie noch sehr klein waren , das erste kam ohngefehr 3 jahre nach der unglücklichen geburt , vom zweyten weis sie die zeit nicht. Es hat ferner die verstorbene öfters starkes reissen in denen gedärmen geklaget , warm übergelegte tücher hat sie gut und linderend befunden , sie hat sich auch deswegen oft den leib mit kümmelöl geschmiehet , sie hat sich ferner sehr diät gehalten , und auch halten müssen , denn beym geringsten fehler in der diät hat sie schmerzen empfunden. Dieses alles versichert frau Dietzin mehrmahlen aus dem munde der verstorbenen selbst gehöret zu haben.

Anna Felicitas Hasefusin zu Schönbau anno 1691 geboren , sagt daß sie von der seeligen frau rectorin , die sie sehr wohl gekannt habe , selbst gehöret , daß sie in kindesnüthen gewesen , das kind aber nicht bekommen , sondern noch bei sich hätte , sie hätte sich aber nie weiters nach denen umständen erkundiget , könnte also auch nichts genaueres davon sagen.

EX-

Figura prima.



E. Wolff fec. à Mannheim.

*Explicatio Litterarum figuræ primæ, sicut
foetus in cavo pelvis exhibentis.*


- A. Offis frontis pars dextra.
 B. Os bregmatis dextrum.
 C. Scapulæ sinistræ pars.
 D. Cubitus sinister.
 E. Cavitas vel pro aure dextra, vel formata ab incisura femi-
 lunari inter binas apophyses maxillæ inferioris & processu
 zygomatico offis temporum.
 F. Caput offis femoris dextri.
 G. Fontanella, seu fons pulsatilis.
 H & I. sunt duæ aperturæ densa membrana obductæ supra ossa
 ilia, in quas acicula infigi poterat: pars inter binas has
 aperturas intermedia, quæ vertebra lumborum esse debet,
 ossæ est.
 K. L. P. est arcus verticis, quo foetus insistebat vesicæ urinariz.
 M. Ulna dextræ manus.
 N. Radius dextræ manus.
 O. Est apertura membrana clausa.
 Q. Caput offis femoris sinistri.
 R. Hic nullum est spatium, quo caput separatur per collum a
 thorace, quemadmodum in sinistro latere conspicuum est,
 sed latus dextrum capitis cum dorso unam constituit su-
 perficiem convexam ossæam.
 S. T. Dorsum.
 V. Offa innominata.
 X. Radii dextri extremitas superior.
 Z. Ulnæ dextræ superior extremitas.
 a. b. c. d. e. f. g. Offa metacarpi & phalanges digitorum manus
 dextræ.

Expositio litterarum figuræ secundæ.

- A. A. Os frontis.
 B. Processus mamillaris ossis temporum.
 C. Orbita oculi dextri.
 D. Orbita oculi sinistri.
 E. Cavitas vel pro aure dextra , vel formata ab incisura semilunari inter binas apophyses maxillæ inferioris & processu zygomatico ossis temporum.
 F. Caput ossis femoris dextri.
 G. Os femoris dextrum.
 H. H. Crus dextrum.
 I. Calcaneus dextri pedis.
 K. Planta pedis dextri.
 L. Apertura inter ossa innominata , membrana densa clausa, in quam ab inferiore parte acicula penetrabat in cavum pelvis.
 M. Ulna dextræ manus.
 N. Radius.
 O. Planta pedis sinistri.
 P. Fibula pedis dextri.
 Q. Caput ossis femoris sinistri.
 R. R. Costæ.
 S. Crus sinistrum.
 T. Foramen per quod acicula penetrabat in interiorem foetus substantiam.
 U. Digiti pedis sinistri.
 V. Est parvum foramen , quod membranula obductum erat , videtur esse simile alterius lateris , in figura 1 & hac secunda sub littera E descripti.
 X. Radii extremitas superior,
 Z. Ulnæ dextræ superior extremitas.
 a—r. Ossa metacarpi & phalanges digitorum dextræ manus.


III.

Figura secunda.



ad pag: 419.

Figura tertia.



Illustratio figuræ tertiæ.

- A. Offis frontis pars sinistra.
 B. Os bregmatis sinistrum.
 C. Os temporum.
 D. Apophysis mastoidea.
 E. Apertura inter os fontis & temporum, per quam in conspectum venit ala major offis sphænoidei,
 F. Caput offis femoris dextri.
 G. Os femoris dextrum.
 H. Crus dextrum.
 I. Scapulæ sinistræ pars.
 K. Planta pedis dextri.
 L. Fontanella, seu defectus ossificationis inter bregmatis & occipitis ossa.
 M. Os occipitis.
 N. Locus pro patella.
 O. Planta pedis sinistri.
 P. Apertura inter os femoris sinistrum & cubitum satis profunda, quæ aciculæ introitum permittebat in cavum abdominis foetus: per hanc aperturam satis magnam particulæ carnosæ, quasi semicorruptæ & induratæ extrahi poterant.
 Q. Caput offis femoris sinistri.
 R. Ulnæ sinistræ extremitas superior.
 S. Crus sinistrum.
 T. Os femoris sinistrum.
 U. Extremitas superior radii sinistri.
 V. Offis humeri sinistri extremitas inferior, cum qua radius committitur.
 W. Ossa tarfi sinistri.
 X. Radii dextri extremitas superior.
 Y. Digni pedis sinistri,
 Z. Ulnæ dextræ superior extremitas.
 a. Ossa metacarpi sinistri. b. b. b. Digni manus sinistræ.
 c. Ulnæ dextræ extremitas inferior. d. e. f. g. Digni pedis dextri.

Descriptio figurae quartae.

- A. Os bregmatis dextrum.
- B. Os bregmatis sinistrum.
- C. Offa metacarpi sinistri.
- D. Apophysis mamillaris seu mastoidea.
- E. Planta pedis dextri.
- L. Fontanella seu defectus ossificationis inter bregmatis & occipitis ossa.
- M. Os occipitis.
- N. Locus pro patella.
- P. Apertura inter os femoris sinistrum & cubitum satis profunda, per quam acicula satis profunde in cavum abdominis foetus intromitti poterat : ex hac apertura satis magna particulæ carnosæ quasi semicorruptæ & induratæ extrahi poterant.
- Q. Caput ossis femoris sinistri.
- T. Os femoris sinistrum.
- X. Offa tarsi pedis sinistri.
- Z. Digiti pedis sinistri.

Cæteræ partes ex figura tertia patent.

the

Figura quarta.





Figura quinta.



Illustratio figurae quintae.


- A. Os bregmatis sinistrum.
 B & E. Dura mater.
 C. Sinus falciformis.
 D. Os bregmatis dextrum.
 F. Hic conspicitur portio membranæ tenuissimæ, sine dubio piæ matris.
 G. Foramen, per quod in canalem spinæ dorsalis immitti poterat feta, quæ exibat ex foramine K.
 H. Foramen in canali vertebrali ex quo exibat feta immissa in foramen magnum ossis occipitis T.
 I. Mediastinum.
 K. Vid. explicationem litteræ G.
 L. Tibia pedis dextri.
 M. Peritonæum.
 N. Tibia pedis sinistri.
 O. Cavitas, quæ ex situ dijudicata ventriculus fuisse videtur.
 P. Membrana admodum densa, sine dubio diaphragma fuit.
 Q. Est portio indurata membranæ P incumbens.
 R. Processus mamillaris.
 S. Pars petrosa ossis temporum.
 T. Foramen magnum Ossis occipitis.
 U. Varia cerebri frustra.
 W. Videntur esse corpora vertebrarum colli.

Litterarum figurae sextae expositio.

- A. Os bregmatis sinistrum.
- B & E Dura mater.
- C. Sinus falciformis.
- D. Os bregmatis dextrum.
- F. Tentorium cerebelli.
- G. Costæ sinistri lateris.
- H. Costæ discissæ.
- I. Corpora vertebrarum dorfi.
- K. Corpora vertebrarum lumborum.
- L. Tibia pedis dextri.
- M. Peritonæum.
- N. Tibia pedis sinistri.
- O. Altera pars cavitatis in figura quinta sub littera O descriptæ.
- P. Q. R. S. T. Sunt orificia canalium semicircularium ossis temporis. Seta in orificium P. immissa, penetrabat per orificium Q.
- U. Cerebri varia frustra.
- W. Videntur esse corpora vertebrarum colli.

DIS-

Figura sexta.



D I S S E R T A T I O

De muscorum & algarum generatione.

Auctor

NATALIS JOSEPHUS DE NECKER.

AB opere nostro edito, (a) excursiones botanicas in Alsatiam nec non in Palatinatum plures fecimus, ut novis inventis muscos & algas locupletaremus. Plantas, quas fastidimus quidem ac temere conculcamus, medicinæ tamen, commercio usibusque œconomicis perutiles.

Lichenes *roccella*, (b) *tartareus*, (c) *facatilis* (d) purpuram præbent: *juniperinus*, (e) *fulvus* (f) luteo colore lanas inficiunt. *Lycopodium complanatum*, (g) *annotinum* (h) fulgentissimo flavo colorant. Lichen *caninus* (i) ad hydrophobiam omni laude cumulatur: *pulmonarius* (k) in pulmonum affectibus valde celebratur. *Sphagnum palustre* (l) infan-

(a) *Delic. Gallo-belg.* 2 vol. 8. Argentorati impress. 1768.(b) *Amoenit. acad.* tom. v, p. 338 n. 92.(c) *Ibidem* pag. 338 n. 93.(d) *Flora Gallo-belg.* tom. II, p. 504 n. 12.(e) *Ibidem* 505 n. 14.(f) *Ibidem* 502 n. 8.(g) *Amoenit. acad.* tom. v, pag. 338.(h) *Syst. nat.* ed. 12, p. 697 n. 11 *Fl. carniolicæ*, p. 164.(i) *Fl. Gallo-belg.* tom. II, p. 517 n. 32.(k) *Dill. muscolog.* p. 212 n. 113.(l) *Fl. Gallo-belg.* pag. 440, *Fl. carniolicæ*, pag. 162.

fantibus lapponum in cunis infervit ut plures alios cum usum muscos taceamus.

Per itinera mea mihi non semel gratulatus sum, quod duobis olim nostris experientia, quæ ex dicendis mox patebit, egregie respondit.

Muscos & algas quo magis consideramus, eo minus generatio copulativa (m) ac semina eorum demonstrata nobis videntur: proin, fœcundationis mechanismus summatim explanandus sciendaque prius feminis in plantis causa ac natura, quam ad propositum nobis argumenta progrediamur.

Genitura innumerorum globulorum congregatio est. Singuli, facta ruptura, nubeculam ostendunt, in qua minores globuli rumpendi natant. Quum ergo in pistillum copulationis actus fit, continentes globuli omnes (n) in stigmatis foraminula illabuntur, quod lympham genitalem fudat: ibi humore hoc rumpuntur ita ut contenti (o) minores globuli evadant, & usque ad ovarium facile penetrent, ubi explosa feminali aura, absolvitur fœcundatio.

Semen corpus est organicum in femina præformatum polline fœtum, sub mole minima coarctatum, intra vesicularem tunicam reconditum, corculo, hilo, cotyledonibus &c. constans, quo a matre soluto, planta nova educitur. Nonnulli (p) peracta fœcundatione in semine punctum vitæ (germen ut ajunt

(m) Generatio duplex in vegetabili regno distinguenda copulativa scilicet, & evolutiva. Hæc viviparas sine fœcundatione plantas emittit. Altera oviparas irrigatione ac pollinis imprægnatione plantas educit.

(n) Nubeculam s. atmosphæram sulphuream constituunt *philos. bot.* tab. 8. f. A.

(o) Aura feminalis *phil. bot.* p. 91 n. 145 tab. 8. f. 6.

(p) *Needmann* apud *Bonnet* considerat. *sur les corps organisés* tom. 1. p. 177.

ajunt) contineri asseruere i. e. quod pollen primordium feminis includit: verum genitalis hæc farina, vivificans principium feu activus stimulus seminis in *femina* præexistentis quo vivificatio fit.

In polytricho pro *mare* capsuliferum individuum: pro *femina* individuum stelliferum assumpserunt botanici summi. Distinctio hæc sexuum individualis quemadmodum illi existimant, organa comprehendit essentialia, sine quibus propagatio nulla est. „ Polytrichum *communis* inquit Linnæus, quod capitulum vel „ antheram habet *mas* salutabitur. Quod autem stellulas gerit „ terminales *femina* est; adeo ut hæc stellulæ nihil aliud quam „ primordia muscorum contineant, quæ illorum semina sunt „ atque ab ære feruntur. „ (q) Ergo, pro illius propagatione, stamina pistillaque necessario ponit perill. auctor. Observationes ac experimenta nostra brevibus adferemus. anno 1766 postquam polytrichi *communis* tam capsulas, quam adolescentes stellulas omni diligentia mutilassemus: anno sequenti ex utroque individuo abscisso aliæ prognatæ sunt plantæ. Hæc capsulis stellulisque destitutæ, prolem continuarunt. Utrumque distinctum individuum ab altero separatum, ita, ut inter se invicem communicatio nulla esse potuerit; absolutam genuit plantam: gemmula, quæ in centro stellulæ in furculum verum conversa fuit.

Dupliciter propagatur polytrichum, per superiores inferioresque furculos. (r) Priores nuda sunt primordia semper præsentia, (s) sessilia, quæ pristinis insident plantis, evolvendorum furculorum compendium. Inferiores furculi tenellæ propages plumuliformes vellere obductæ ad pristinorum furculo-

Tom. II.

H h h

rum

(q) *Amoenit. acad.* tom. II, pag. 300.

(r) Vide tab. II, fig. 5, 6.

(s) Id quod furculo, ramo plantæ constanter adhæret.

rum radican- tium basin germinantes, e terra prodi- tæ alios fur- culos promunt & vegetationis progressu, in præcedentium lo- cum succedunt. Species plurimæ (t) stellifero individuo ca- rentes, radicalibus lateralibusque propaginibus gignuntur. Po- lytrichi stellifera alia individua sunt, in quibus stellulis, ocu- lis nudis armatisque, nullum rudimenti vestigium occurrit; Imo squamæ potius observantur nudæ imbricatæ quandoque colora- tiusculæ. Setacea foliola, si quæ adsint, quæ pistillum men- tiuntur, proditurum furculum constituunt. in una specie (u) furculos e centro stellulæ suæ quemque exstantes quinquies nu- meravimus repetitos: sesquicubitum longitudine adæquabat planta. In cæteris hoc nunquam advenit. Superiores ac inferio- res polytrichorum propagines continuo plantam propagare: primordia stellarum centro locata proliferam reddere distin- cte videmus.

Lycopodium capsuliferum individuum tantum suppeditat. Germinatio ejus e furculorum, ramorum latere aut ex radice simplicissimas propagines s. gemmulas emittente fit. Capsulæ quæ caliptra & operculo carent, sessiles, renatæ interiorem fo- liorum basin occupantes, in quibus pulverulenta substantia quæ a botanicis pro genitura habetur. In muscis algisque per se- xus propagandis Linnæus partes aliquas assignat (x), quæ a genitalibus maxime discrepant, omni ope atque opera enixus est, ut lycopodii specie unica (y) copulativa muscorum genera- tio, demonstraretur-

„ Fe-

(t) *Flora Gallo-belg.* tom. II, p. 300.

(u) *Ibidem* tom. II, p. 442.

(x) *Dill. muscolog.* tab. 56, f. 1 aa, bb, c, d, h, i, k, l, m, n, o, p. *Amoenit. acad.* tom. II, tab. 3. fig. 6, 7, 8, 9. *Oederi flora Danic.* tab. civ.

(y) *Sp. pl.* ed. 2. p. 1565, n. 9.

„ Feminæos flores , inquit perill. vir , distincte intuen-
 „ ergo fumere debemus, quod femina inter omnes muscos Eu-
 „ ropæos maxima gerit , ideoque parcissime disseminantur. In
 „ axillis foliorum , sessiles antheras , bivalves polline foetas in
 „ eodem ramo numerosissimas reperimus, sed una cum illis pro-
 „ pagines quasdam prominentes etiam invenimus,, (z) Astute
 docuit foliola vera basi conjuncta inter ramorum axillas pro-
 germinantia , femineos flores muscorumve semen esse.

„ Characterem in viva planta brevioribus verbis ita per-
 „ cipio. Pedunculus brevissimus diphillus. Calix, perianthium
 „ tetraphillum : foliis lanceolatis , acuminatis foliolo exteri-
 „ ore magis concavo cæteris duplo majore , lateralibus æqua-
 „ libus minoribus. Stamina nulla pistilli loco in fundo floris,
 „ oculis armatis, foliola quinque observantur visum fere fugi-
 „ entia, quæ progressu temporis in foliola majora excrescunt
 „ tria , lata duo scilicet conniventia in formam pedis bovini
 „ subjecto tertio angustiore & in duo minima tribus nominatis
 „ contraria. Hæc foliola quinque arte conniventia basique unita
 „ autumnali tempore decidunt a calice persistente novamque
 „ plantam propagant radículas e basi exerentia. „ (a)

Supradicto pedunculo abbreviatum petiolum , semine aut
 pistilli analogo viviparam ostendimus plantulam. De planta no-
 stra a Dillenio observata animadversionem ejus hic adferri ne-
 cesse est.

„ Quum ante quatuordecim annos Cambriæ montes plan-
 „ tarum gratia peragrarem , augusti sine plures plantulæ semia-
 „ ridæ & quadam mortuæ mihi visæ sunt , cum initio hujus
 „ mensis virent id vero tam in majoribus quam in mediæ

H h h 2

„ mag-

(z) *Amoenit. acad.* tom. II, p. 293.

(a) *Ibidem* pag. 294.

„ magnitudinis plantis mihi observatum ex quo singulus aliquot
 „ annos durare & postea interire conjicio. Eodem tempore per
 „ ramos observavi præsertim superiora versus e foliorum alis
 „ corpuscula cristata, crebra, rigida e sex laciniis inæqualibus
 „ composita, superiore & exteriori lacinia, majore; galeæ in-
 „ star surrecta & concava, cui interius adnectæ erant quatuor
 „ breviores laterales invicem æquales capillaceæ, cum inter-
 „ media alia lacinia paulo latiore. In basi cohærent & pediculo
 „ cuidam insident e quibus postea, tenuioribus factis, velut e
 „ calice præsertim in summitate folia nascuntur bracteata, fa-
 „ turanter viridia obtusa lævissime convexo-concava, terna co-
 „ hærentia (b) duobus exterius & uno interius locatis, quæ
 „ si eximatur in basi læviter cohærent, & singula terna duas
 „ ligulas unam exterius, unam interius basi adnatam mon-
 „ strant. Plura non observavi nec femina in his nec calicibus
 „ vel foliis bracteatis. Suspikor autem bractæas illas, feminalia
 „ folia esse novarumque plantarum productioni inservire., (c)

Si viviparam plantulam pro feminalibus foliis aut bracteatis habuerit celeberr. vir, quod veluti plantarum femina folia hæc radican-
 „ t, crescunt, speciemque multiplicant. Hal-
 „ lerus judex pariter ac observator præstantissimus de Linnæana
 „ sententia recte dubitans, paucis mentem suam ita declarat: „ in
 „ iisdem alis superioribus, mixtæ cum capsulis quasi gemmæ,
 „ primum a Scheuchzero detectæ, inde a Dillenio a Linnæo
 „ denique a celeb. Oedero repetitæ in quibusdam exemplis ab-
 „ unde sedent. foliis fiunt rigidis durisque tum brevi quasi sti-
 „ pula & lata, porro maximo ovato lanceolato concavo foliolo,
 „ & quatuor foliolis lanceolatis fere incurvis. Hæc foliola quin-
 „ que

(b) Vide *Oederi flora Danic.* tab. civ.

(c) *Hist. muscor.* pag. 436.

„ que caveam intercipiunt nihil fructus simile aut tubæ neque
 „ hæc corpuscula a me pro fructu vel florè habentur femina., (d)
 Agnoscemus ne capsularum pulverem , genituram esse qua fœ-
 cundatur hoc plantæ rudimentum. Ast quomodo copulationem
 seu actionem genitalis farinæ in gemmacea foliola proxime fieri
 mente concipiemus , cum neque ovarium , neque stylus ne-
 que stigma adsit ? ac si diceremus ad foliferas perennantium
 gemmas pollinem explicandas necessarium esse : argumento tam
 absono in copulativæ generationis legibus quæ stabiles sunt ,
 nulla esset explorata veritas. Præterea lycopodii nostri cap-
 sulæ minime sponte dehiscunt, id quod testimonio Dilleniano
 corroboremus : „ Mihi utroque modo visæ hæ capsulæ frequen-
 „ tius autem per totos ramos & caules sub maturitatis statu ;
 „ Julio & Augusto mensibus & singulis foliorum alis singulæ
 „ reniformes parte sinuata adhærentes, quæ diductæ basi cohæ-
 „ rent , licet siccæ in duas partes facile dividantur, sed non
 „ sponte , e quibus pulvis evolvat flavescens. „ (e)

Capsularum pulveriferarum præsentia , & gemmacei rud-
 menti decidentia (f) ex Linnæi sententia pro muscorum ge-
 neratione per sexus pugnant. Sunt nempe magno numero plan-
 tæ , quarum fructificationis partes ramorum axillis insident : ha-
 rum fœcundata ac matura semina decidunt ad vitas alias spar-
 gendas. Lycopodii rami laterales plantulas apicem versus
 protrudunt ad quarum proximitatem capsulæ plures : hisce
 plantulis a ramo discessis , perpetuatur soboles. Ex analogia sive
 collatione illas futurum semen esse polline fœtum artificiose

H h h 3

animo

(d) *Stirp. Helv.* ed. 2 tom. II, pag. 20.

(e) *Hist. musc.* p. 436. ex auctoris observatione propria , essentialis
 circumstantia.

(f) Cum gemmulæ petiolus , ex natura sua fragilis ac tenellus sit, facile
 a matre solvitur plantula , tumque decedit , radicat & crescit.

animo effinxit Linnæus, & exemplo unico specioso muscis omnibus regulam statuit. „ Flores feminei, addit, in hac evi- „ dentissime fructificationem muscorum ostendunt. „ (g) Tan- tum abest ut hæc muscorum fructificationem nobis patefaciat, ut contra foliola pura fructificationi ex diametro opposita sint. „ Ita particulæ lycopodii feminibus analogæ manifesto in folia „ resolvuntur, ut verbis Hallerianis utamur. (h)

Lycopodium *selago* in muscis est quod targionia in algis. Cum primum prioris gemmaceum primordium a ramo discessit, absque fœcundatione radicat inque plantam convertitur. Targionia e lateribus foliacea corpuscula emittit : hæc cum a plan- tula adulta solvuntur vegetant crescuntque. quis hinc concludat corpuscula illa pistilli analogæ polline fœcundata esse?

Linnæus assertum suum quantumvis infirmum stabilitu- rus objectionem præripit additque „ cave ne gemmam credas „ folia hæc esse, nunquam enim gemma crescit in fundo calicis „ loco fructus, nisi semen ex prægresso flore gemmam dicere ve- „ lis sed abusive; cave ne pro ramuli rudimento, habeas se- „ men lycopodii nostri; cum in hac specie nunquam ramus nisi „ per dichotomiam prognascitur. Dein etiam nec ramus un- „ quam nisi in proliferis e calice exoritur, & si exoriretur nun- „ quam caderet e calice tanquam maturum semen quod utrum- „ que heic obtinet &c. „ (i)

Verissimum est gemmam in calice plantarum loco fructus haud crescere: sed nec foliola musci nostri appendiciformia ad basin viviparæ plantulæ loco pistilli calicem constituunt. Non pro ramuli rudimento, multo minus pro semine plantæ (nec semi-

(g) *Flora Suec.* ed. 2 pag. 377.

(h) *Stirp. Helv.* ed. 2 tom. III, pag. 18. vide not. litt. b.

(i) *Amoenit. acad.* tom. II, pag. 295.

feminis) nostræ primordium accipiemus, certissime enim nobis constat partes illas ad fœcundationis actum inhabiles esse. Si ramus e calice nullus unquam prodeat, nisi in proliferis, cur polytrichorum stellulas, communes esse calices: horum abbreviatos furculos centrum occupantes, pistilla articulata esse quæ ab ære feruntur asseruit Linnæus? oculi nostri & experientia contrarium nos docent. Pistilla ista falso credita continuorum sex annorum observatione, veras plantulas fixas esse quæ in furculos novos resolvuntur didicimus. Didicit idem Hallerus cujus verba sunt „ quæ pistilla articulata ex Michelio Linnæus „ vocat, ea mihi videntur folia esse, ipsasque rosulas gemmæ „ genus ex quo novi rami germinent repetito. „ (k) Siquidem clarissime demonstramus lycopodii nostri primordium coarctatum constituere plantam sine intermedio fœcundante explicatam, capsulasque sponte non dehiscere, nulla in ipso næ copulatio locum habet adeoque nec femina. Nam, si verum semen esset illud primordium, prius germinare quam polline fuisset vivificatum non posset, id quod docent principia Linnæana & probat experientia. Semina nulla ante fœcundationem progerminant. „ Si enim stigma (cujus libet plantæ) antequam „ genituram suam antherarum conceperit dissecetur, planta castrata a parte feminina evadit, fructusque semper perit. (l) „ Genitale pollen in humida vulvæ stigmata ubi rumpitur & dimittit contentum tenuissimum quod fœcundationem caussat. „ (m)

Stigma itaque essentialis pars est vulvifera, genitalem lympham sudans, in qua pro copulatione necessario agit genitura. (v. pag. 424) Argumentum in reliquis lycopodiorum speciebus gravius:

(k) *Stirp. Helv.* ed. 2, tom. III, p. 50.

(l) *Amoenit. acad.* tom. I, p. 358.

(m) *Ibidem* p. 359.

vius: harum enim germinantes particulæ & quibus gignuntur, semper præsententur sunt. Lycopodia hypnids connectuntur. Mnum individuis tribus distinguitur diversis, quorum aliud stelliferum, aliud capsuliferum, aliud globuliferum. Capsulifero sexus masculini, cæteris feminini nomen imposuere systematici.

Stelliferum individuum foliis constat plurimis compactissimis stellarum centro. (n) Globuliferum, rachin pedunculiformem gerit cujus apici, oculis armatis, nuda foliola innumerabilia & distinctissima, quæ in globulum congeruntur. (o) Una species capsulis destituta. (p) Alizæ sunt quibus stellulæ & globuli: (q) porro cum globulis stellulisque in individuis distinctis species alias observamus. (r) Hæc foliola globulorum frustra tentavimus experimentis; nihilominus non diffitemur germinare posse, imo hoc nobis persuasissimum est, sed negamus illa, femina esse ut docuit Linnæus (s) qui a suis hic ipse principiis aberrat, suo sane gladio sese jugulans:

„ Semina esse plantarum ova, docet eorum finis; omne
 „ enim ovum sobolem, parentibus conformem producit, quod
 „ etiam femina vegetabilium; sunt itaque femina plantarum
 „ ova. (t) Ad actum fœcundationis duo omnino requiruntur,
 „ organa nempe genitalia utriusque sexus, quia horum alterum
 „ sexum propagare nequit, in flore peragitur actus fœcun-
 „ da-

(n) *Flora Gallo-belg.* tom. II, p. 426. *Oederi flora Danic.* tab. CCXCVIII.

(o) Vide tab. II, fig. 7. *Oeder. flora Danic.* tab. CCXCIX.

(p) *Flora Gallo-belg.* p. 448.

(q) *Ibidem* p. 448.

(r) *Ibidem* p. 445, n. 4, 5 & pag. 450, n. II, append. p. 565.

(s) *Amoenit. acad.* tom. II, pag. 300.

(t) *Ibidem* tom. I pag. 339 & seq.

„ dationis. Observes tamen, quod non semper in uno eodem-
 „ que ramo flore sunt organa genitalia utriusque sexus. Suffi-
 „ ciat, quod in uno flore adsint organa genitalia masculina, in
 „ altero feminina. Cum omnis planta sua proferat semina,
 „ quibus soboles propagari queat, nullum vero ovum ante fœ-
 „ cundationem excludi possit; ergo fœcundatio æque necessaria
 „ ac ipsa femina. Hinc patet, organa genitalia utriusque se-
 „ xus fœcundationi inservientia omnino necessaria esse, si per-
 „ fectus existat flos & sic sunt essentialia. Nullas vero partes
 „ essentielles floris invenimus, nisi antheras & stigmata; ergo
 „ hæc partes organa sunt genitalia utriusque sexus fœcundationi
 „ inservientia. Pistilli tres sunt: germen, stylus & stigma. Ger-
 „ men in flore semper imperfectum & immaturum est, siqui-
 „ dem rudimentum futuri fœtus, Stylus nulla pars essentialis
 „ est, quandoquidem in multis plantarum desideratur; Ger-
 „ men vero fructum nunquam ad maturitatem proferre potest,
 „ nisi cum stigmate flori insit. Hinc ergo sequitur, quod stigma,
 „ illa floris pars sit, quæ imprægnationem suscipit, cui vulva
 „ in majoribus & plerisque respondet. Hæc evincunt. Stigma
 „ itaque partem conceptionis feminæ esse, hinc satis demon-
 „ stratur. Generatio vel fœcundatio plantarum fit, quando an-
 „ theræ genituram suam vulvæ femineæ vel stigmati inspergunt.
 „ Stigma est vulva in qua agit genitura maris quæque hanc
 „ excipit. Stylus est vagina vel potius pars illa, quæ tubæ
 „ Fallopiæ respondet, unde quibusdam tuba audit. Germen
 „ est ovarium semina enim subventanea continens sive non fœ-
 „ cundata ante copulam. Pericarpium ovarium fœcundatum
 „ esse facile intelligitur; idem ergo cum germine, quod mole
 „ auctum & ovis gravidum. Semen est ovum. „

Ergo semina nulla ante fœcundationem progeminare
 possunt. Minuta folia ex quibus formantur minorum nudi glo-
 buli, polline imprægnari nequeunt uti superius demonstratum
 est. Quamquam istis foliis minutis multiplicari possit species,

inde non dum sequitur ea , femina esse. In classium cæterarum majoribus plantis simplicissima folia sunt, quæ sobolem perpetuant an idcirco illa ; semina vera esse dicemus ? omnes vegetabilium partes totum organicum in se continent e quo absoluta prodeunt individua. Ita loquitur Clar. Bonnetus : „ Une feuille „ peut devenir une plante , elle peut comme une plante entiere , „ ou comme une bouture , pouffer des racines , & végéter „ ainsi par elle même. Cest ce que j'ai eû le plaisir de voir plusieurs fois. „ (u)

Itaque foliolum unumquodque minorum scobiforme nudos globulos constituens ac femina mentiens ; germinationis legem servabit , si germinet , ut planta evadat. Aliæ plantæ sunt, quæ nobis quoque exempla præbent. v. g. *poæ alpinæ*, *airæ caespitosæ*, *festucæ ovinae* (x) pistilla in folia involuta & rostrata abeunt, hæc tanquam plantarum semina sponte decidunt, plantamque novam producant. (y)

Ut eorum generativa facultas absque fecundatione endetur , ad hypotheses confugit Linnæus : „ Quemadmodum „ ait, *aira*, *festuca viviparis*, quæ fructificationem quidem incipiunt calicemque suum formant ; at loco germinis confestim „ folia exerescunt, sive planta novella sine staminibus, quæ decidunt

(u) *Considerat. sur les corps organisés* 8. tom. 1 pag. 191, 192. & *Recherches sur l'usage des feuilles* 4. p. 205. art. 78.

(x) *Flor. Suec.* ed. 2. p. 14, 27, 30.

(y) Ad natusam muscorum accedunt hæc plantæ ex *Linnaeo Amoenit. acad.* tom. 11 p. 296 litt. c. Calicem atque petala *poæ viviparæ* s. *alpinæ* in folia nec abire : contra hujus germen effrondescere, decidere, germinare & crescere uti *lycopodium selago* asserit *Linnaeus* vide *Fl. Suec.* pag. 27 n. 79. effrondescentiam *lycopodii* nostri cum *viviparæ* planta collati, absonam fore liquet : quia illius musci primordium ex natura sua gemmaceum nec seminale : alterum fortuita metamorphosi frondescit.

„ cidit jamque germinata radicat. nescio igitur, quibus hæc
 „ tenebris quasi confundamur, cum in graminibus ipsum ger-
 „ men, non fœcundatum germinare perspicimus, ac merito
 „ miramur, cur generatio ex polline antherarum ad omnem
 „ pistilli fœcundationem adeo necessaria sit, ut nulla in planta,
 „ femina dimissura desideretur (z); hic vero, ubi femina in
 „ ipsa planta germinant, natura consuetam viam, sprete pol-
 „ linis ope, deferere videtur. Miramur quænam sit vis insita
 „ & etiamnum occulta, quæ semini deciduo communicari non
 „ potest, nisi vis pollinis a stigmate humido absorbeatur, &
 „ novo vitæ puncto communicetur. „ (a)

Hypnum filamentis capsuliferis instruitur, quæ anthera di-
 cuntur. Species plures (b) & aliæ (c), quæ pro varietatibus
 habentur, capsulas neutiquam promunt. Si gemmulæ aut mu-
 scorum propagines a planta sponte non secedant, ut lycopodii
 memorati rudimenta gemmacea, cujus in muscis exemplum uni-
 cum: mirum non est, de eorum obscuritate conqueri Linnæum
 generationem per sexualia attributa explanantem:

„ Hypnum, inquit, magis quidem obscurum est, nihilo ta-
 „ men minus tales propagines etiam in illo reperiemus: & hæ
 „ gemmæ veri sunt feminei flores. Sine dubio illas reperiemus,
 „ cum illos muscos adeamus, quorum femina adhuc non sunt

I i i 2

„ detecta

(z) Vegetabilium fabrica five organismus multo simplicior est quam
 in animalibus: hinc sine admiratione concipimus plantarum quam-
 libet partem quadam certa circumstantia individuum generaturam per-
 fectum; supradictis experimentis hoc edocetur. Insita vis etiamnum
 occulta, quæ semini deciduo communicari non potest, & vis pollinis
 ab humido stigmate absorpta, res commentitia ac futilis est.

(a) *Amoenit. acad.* tom. v p. 349.

(b) *Flor. Gallo-belg.* tom. II p. 468, 480.

(c) *Ibidem* pag. 465, 466, 471, 472, 474, 475, 477, 478, 480, 481.

„ detecta , modo velis remisque operam navemus. Nam, cum
 „ hæc sententia de feminibus decorticatis nova sit, non potue-
 „ runt botanici indagare femina vel flores femineos, quæ igno-
 „ rarunt, & in alis foliorum sessilia pro squamis foliolis s. ful-
 „ cris habuerunt. „ (d) Hoc secum pugnat. Si enim musco-
 rum propagines femina decorticata sunt, tunicâ cotyledonibus-
 que destituta, (e) & hypnorum gemmæ flores feminei veri:
 sequitur, detecta esse ergo illorum femina; quia per femineos flo-
 res femina, per muscorum femina flores femininos gemmu-
 lasve intelligit Linnæus. (f) Reapse ignorarunt botanici pro-
 pagines muscorum pro feminibus hodie accipi, aut ignari non fu-
 ere, quod novitatis studio plurimi quandoque rapiuntur in er-
 rorem. Etenim si plantarum seminis character essentialis nobis
 ignotus esset, sane admittere possemus nudas perennantium
 gemmas femina quoque decorticata esse, quidni? istæ gemmæ,
 futuræ plantæ permanentis (g) ramisque adnatæ compendium
 sunt

(d) *Amoenit. acad.* tom. II pag. 301.

(e) *Philosoph. bot.* p. 57.

(f) Muscorum propagines plumulam plantæ calici adnatam esse (in
 lycopodio felagine) statuit perill. auctor, dein anno 1750 femina
 muscorum se detexisse evulgavit. Semina plantarum ova polline
 foeta. Muscorum propagines decorticata femina dictæ, gemmulæ aut
 viviparæ plantulæ e rachi abbreviata foliolisque coarctatis compositæ.
 Plantarum femina cotyledonibus seu seminalibus foliis instruuntur.
 Muscorum gemmulæ iis omnino privantur, quod per omne tempus
 germinationis & vegetationis a matre nutriuntur, demptâ lycopodii
 felaginis plantulâ gemmaceâ: „ nunquam inquit *Linnaeus*, plantam
 „ vidimus exorientem carere foliis seminalibus aut cotyledonibus, nisi
 „ furculus ex aliquo trunco vel radice progerminaverit. *Amoenit. acad.*
 „ tom. I pag. 345. „ Sequitur igitur, quod e furculis suis propri-
 issimis proxime germinantes, vegetantes & crescentes musci, coty-
 ledonibus haud indigent.

(g) *Ibidem* ac semper præfens vide pag. 425.

sunt absque fecundationis auxilio in plantam convertendum. Ita quoque gemmulæ sive muscorum propagines nudæ, plantæ futuræ semper præsentis furculo præcipuo adnatæ compendium sunt, quo sine copula restituitur species. Per muscorum germinationem e basi seu ex apice furculi præcipui nuda prodit gemmula, hæc ipsamet oritura planta; gradatim se evolvendo; laterales gemmulas protrudit ramos evasuras. Ulterior nata planta in ætate adolescenti pullos edit & sic ad infinitum. In speciebus nonnullis generationes plures numeramus inter se nexas ac iungatas, in unica specie (h) individua quinque adnexa vidimus, singula perfectam plantam designabant, sed languit vegetatio, Bryum, phascum, sphagnum & fontinalis hypnæ affinia. Flores eorum solitarii ac sparsi sunt (i) secundum nonnullos. Bryum stellifera individua habere Linnæus refert, (k) dein inter mnia collocat: (l) quænam ergo femina erit cujus mentionem facit sine descriptione? (m) Systemate sexuali admisso, vegetabilia omnia inter se copulari credunt botanici recentiores. Nonnulli (n) utrumque sexum in muscis sitientes, capsulas pro pistillo, cilia interiorem marginem circumdantia pro staminibus acceperunt: porro capsularum pulverem semen esse affirmarunt, repugnante experientia. Alii (o) capsulas (in muscis & algis), tubercula, scutella similiaque pro *maribus*: folioliferos globulos,

l i i 3 gem-

(h) *Fl. Gallo-belg.* tom. II p. 477.

(i) *Amoenit. acad.* tom. II p. 303.

(k) *Ibidem* pag. 303.

(l) *Sp. pl.* ed. 2 p. 1576. *Fl. Suec.* ed. 2 p. 384. n. 977, 982. V. 2, 3.

(m) *Gener. pl.* ed. 6 p. 562.

(n) *Hist. Angl.* ex *Amoenit. acad.* tom. II p. 304.

(o) *Linnaeus* aliique.

gemmales axillares, stellulas terminales pro *femina* habuerunt, omnium hactenus consensu, unde invaluit plantarum systema sexuale. Hallerus de muscorum sexu feminibusque animi pendens, copulativam generationem observationibus ac experimentis certis explorari studiosissime optavit:

„ In muscis ait erudit. vir, bene multis feminum quod-
dam imitamentum summo caule florifero congestum aut in fo-
lio sessile, quod mihi in plerisque gemmæ similis videtur,
nam sunt ubi antheris propius harum particularum florum
feminumque similium vera natura tamen ad sexum alterutrum
repræsentandum aptitudo nondum evidentibus experimentis
stabilita habetur. „ (p)

Algæ cum muscis colligantur. Priorum fabrica in plerisque simplicissima. Targionizæ copulativa propagatio evidentissime imaginaria; hanc sæpe germinare vidimus; organa sexualia omnino desiderari & per se ipsam perpetuari constat, & fatetur Michelius hujus fructum seu semen semper se ignorasse: „ Tar-
gionia plantæ genus est flore monopetalo campaniformi fila-
mentis tenuissimis, & pulverulentis repleto; sed sterili, &
calice carente, qui in adversa, & extrema parte foliorum
in bifido & quasi bivalvo perianthio reconditur. Fructum in
hoc genere pariter non vidimus, nec ab aliis amicis nostris,
& in re botanica sodalibus adhuc compertum intelleximus.
Doctissimus Fabius columna hujus generis plantæ inventor pro
fructu corpus a nobis perianthium dictum ostendit. Alii pro
fructu capsulas secundarias accipiunt, ad latera inferioris fo-
liorum partis erumpentes. „ (q)

Muscorum algarumque evolutivam generationem ignorantes botanici, in errores prolapsi sunt. Hujus monopetalos flos,
nihil

(p) *Stirp. Helv.* tom. III p. 18.

(q) *Michel. Gen. pl. nov.* p. 3 tab. 3.

nihil aliud quam sessilis globulus Linnæo antheram dictus, (r) membranaceus pulvisculo vano repletus, caliptra operculoque carens, nec sponte dehiscens nisi, quod intra digitos rumpatur: quo facto, cuticula a quibusdam delineata figuram quandoque campanulatam repræsentat. (s) Capsulæ, quæ secundariæ vocantur (t) plantula vivipara aut rudimenta, quibus continuo reparatur proles. Si Linnæo vivam hanc algam videre contigerit, pulvisculum globuli in rudimenta ipsa agere æque ac in muscorum gemmulas (u) forte contenderet ut pro evolutiva nostra generatione, quæ hic manifesta copulativam suam stabili-
ret. Ratum fixumque auctores systematicos multa proferre verisimilia quidem, a vero tamen haud raro aliena: quare cavendum serio, ne rebus leviter dictis assensum præbeamus. Omne systema, ut omnis regula, cui nulla exceptio, suspectum nobis est. Jungermania, marchantia, lichen, anthoceros eandem propter germinandi rationem, inter se valde affines. Jungermaniæ partes monstrant conspicuas, quæ botanicorum opinione stamina sunt; Descripserunt ea quidem, pistilla vero reticuerunt:

„ Lichenastrum (i. e. jungermania) est musci genus flore
 „ antheraceo nudo ab initio globoso deinde in lacinias quatuor
 „ ad basim tetrapetaloide, & pediculo tenero pellucido; singulo
 „ infidente e theca nunc simplici & integro nunc quasi bivalvi
 „ egrediente quibus notis a lichene clarissime distinguitur hoc
 „ genus. Feminina semina me latent in speciebus omnibus.” (x)
 Quandoquidem in generis hujus speciebus nulla copula sit, mi-
 rum

(r) *Linn. Gen. pl.* ed. 6 p. 565.

(s) *Mich. Gen. pl.* tab. 3 f. a.

(t) *Ibidem* tab. 3 f. e e e. fff.

(u) *Amoenit. acad.* tom. II pag. 300.

(x) *Hist. muscor.* p. 479.

rum non est Dillenium sedulum observatorem femina non vidisse. Quas capsulas exiguas adscribit Michelius, (y) femina solitaria confertave, sessilia & subrotunda dicuntur Linnæo (z) neutrum esse visu perfacile. Celeberr. Scopolius verum pândit „ Nostræ enim laciniz autumnii tempore foliola nova eleganter „ virescentia & subrotunda producunt ambitu coronato binis „ aut tribus corniculis bifidis æqualibus obtusis fere ut in labio orchidis 36 vaill. tab. 31. talibus crispatis foliis tota planta „ tecta est, ut laciniz veteres difficulter videri possiat. „ (a)

In Jungermania *pingui* investiganda, frondes (b) coarctatas nuperas vidimus prodeuntes, singulæ simplicissimæ quandoque bitrifidæ, diaphano-viridulæ lineæ circiter longitudine, progrediente ætate in plantam permutandæ. Germinantium frondium pristina planta, ex qua oriebantur, semiputrida vixque manifesta erat. (c) Cum observatione Scopoliana nostrâ optime congruit. Jungermaniz *furcata*, *epiphilla* marginales frondes educunt, quibus gignuntur. *Epiphillæ* germinationem pariter observavit Dillenius: ast foliola hæc seminis vices gerere ignorans, frustra indagavit semina. Ita celeb. vir: „ eo tempore „ nova protruduntur folia modo solitaria, modo plura duo „ triave. Inferiora autem & latiora emori videntur. Semina in „ his floriferis nec in aliis plantis licet diligenter quæserim „ adhuc invenire potui, vidisse autem Michelius. „ (d)

Quæ

(y) *Nov. pl. gen.* p. 5 tab. 4 fig. 2 litt. f. h.

(z) *Syst. nat.* ed. 12 p. 705. *Gen. pl.* ed. 6 p. 564.

(a) *Flor. Carnolic.* p. 123.

(b) Frondem, in muscis & algis folium omne appellamus, quod serpit, latefcit, radicat inque plantam excrescit v. Lichenes, marchantias, Jungermanias &c.

(c) Individua alia reperiuntur, frondes novellas ex apicibus pristinarum emittentia.

(d) *Hist. musc.* p. 508.

Quæ femina ex relatione Dilleniana Michelius vidit, nihil aliud quam abbreviatæ frondes, quæ e pristinis prodeunt. (e) Jungermaniarum nonnullarum (f) pulvisculus in apto solo factus, nequaquam germinare potuit. Harum frondes adolescentes, quas in olla hortulana asservaveramus, speciem multiplicarunt. Plurimæ, quæ capsulis destituuntur. Species nova in palatinatu nuperrime a nobis detecta, exemplo erit. (g)

Jungermanizæ pinnatæ, (h) & imbricatæ (i) hypnorum: cæteræ acaules (k) neutrorum lichenum (l) in germinatione eandem legem servant.

Marchantia duplici modo propagatur, per marginalia ac superficialia rudimenta. Hæc lentiformes plantulæ in cavitate (m) sessili contentæ, a matre solutæ confestim radices agunt. Rudimenta alia, quæ ad frondis margines nascuntur ætatis progressu, ipsius locum occupant. Rudimentorum ergo marginalium germinatio muscis: cæterorum, targionizæ *hipophillæ* & lycopodio *selagini* simillima. Cave ne frondis primordia, quæ in

Tom. II.

K k k

cavi-

(e) *Michel. gen. pl. nov. tab. 4 fig. 1 litt. GG.*

(f) *Flora Gallo-belg. tom. II p. 489 n. 1, 2, 3, 8.*

(g) *V. Tab. I fig. 3.*

(h) *Fl. Gallo-belg. tom. II p. 490 n. 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10. Append. p. 566. n. 2, 3, 4.*

(i) *Ibidem pag. 494. n. 11, 12, 13, 14. App. p. 567. n. 6.*

(k) *Ibidem pag. 488. n. 1, 2, 3. App. p. 567. n. 6.*

(l) i. e. Qui ad superiorem paginam pulverulentâ materiâ, scutellis, tuberculis similibusque destituuntur.

(m) Opinione falsa imbuti olim calicem diximus.

cavitate pro seminibus habeas, viviparæ enim plantulæ a seminibus diversissimæ sunt: (n)

„ Semina quæ dicuntur, manifesta folia sunt, quæ paulatim in veram frondem increfcunt. „ (o) In dubium vocari non potest, quod ex feminibus dioicarum mares ac feminæ producantur. (p) *Marchantiæ conica*, *cruciata* species duas denotant. utraque, duo distincta individua administrat: pileiferum quod *mas* folioliferum quod *femina* botanicis dicuntur. Atqui si in masculos flores femineosque hæ binæ distinguuntur species veluti plantæ classis vigesimæ secundæ Linnæanæ, (q) hoc certo certius ex his foliis in cavitate contentis nudaque semina distis, (r) genitum iri utrumque individuum distinctum speciei utriusque nominatæ: verum contrarium semper si recte observes, observabis: nam pileifera ac foliolifera ex individuis suis propriissimis constanter nascuntur, id est, ejusdem naturæ ac stru-

(n) Qui frondium rudimenta putant esse semina vera, fallunt & falluntur. Corpuscula hæc solo plantæ succo nutritivo emittuntur inque plantam resolvuntur. Solutio, germinatio, & accressio abbreviatarum frondium, quas in earum cavitate individua includunt marchantiæ nonnulla, algarum semina fingenda systematicis occasionem præbuere. V. *Lin. Amoenit. acad. tomæ* II p. 301, 302. *Dillen. musc.* p. 516. *Mich. nov. pl. gen.* p. 1, 2, 3, 4, 5.

Observatum jam est ridiculam ac plane imaginariam fore opinionem, si diceremus perennantium gemmas exterioribus squamis destitutas; corpuscula nuda aut decorticata semina esse, quæ proxima genituræ actione irrigantur & vivificantur. Pro muscorum & algarum gemmulis, frondium rudimentis similibusque consequentia eadem est.

(o) *Halleri stirp. Helv.* tom. III pag. 65 n. 1888.

(p) *Fl. Gallo-belg.* t. II p. 393. cum asterisco.

(q) *Lin. gen. pl.* ed. 6 p. 510.

(r) *Ibidem* p. 565. n. 1198.

structuræ individua præbent. (s) Polytricha, mnia, similiaque regulam eandem sequuntur. Riccizæ *fluitans* scilicet & *glauca* marchantiarum, neutrorumque lichenum more renascuntur. (t) *Cristallinas* propagatio præcedentibus opposita est, Inter lobos in orbem sæpe digestos & striis distinctos nuda foliorum primordia perspiciuntur punctiformia, quæ cum tempore in lobulos se convertunt; dein matrem facile relinquunt & sic sobolem multiplicant. (u) Lemnæ *minori* viviparæ; nostra valde affinis est planta. Conservarum generatio nos etiamnum latet. Flora palatina olim proditura, hoc naturæ arcanum aliaque forte revelabit quantum opinione auguramur, byssorum filamentosarum legem servat conserva. Lichenum generatio per organa sexualia muscorum & algarum omnium absurdissima, quid? Peltæ, tubercula, scutella lævia, & pulverulenta substantia ad foliorum paginam superiorem congesta vel sparsa sexum utrumque constituent. (x) Tuberculis scutellisque nominatis, fœcundantem farinam ponamus, quomodo hæc in pulverulentam materiam (y) agere debeat? quid, inquam, significabit nudas moleculas ex natura sua foliaceas & pro *femina* habitas, polline

K k k 2

vivi-

(s) Manifesto apparet hac observatione, ex ipsis foliolis femina nuda vocatis nequaquam oriri utrumque individuum distinctum (pileiferum & folioliferum): Fœcundationem nudam locum non habere, maris ac femine in marchantiis distinctionem simulatam esse: ergo nulla in hisce vera semina polline fœta, sed frondium rudimenta, quibus idem restituitur individuum: in muscis & algis denique diœcitas sine fundamento admissa est.

(t) V. Tab. II fig. 8.

(u) V. Tab. II fig. 9.

(x) *Lin. syst. nat.* ed. 12. p. 708, & *Gen. pl.* ed. 6 p. 566.

(y) Feminus flos *Linnaeo* dicitur V. *Pl. Gen.* p. 566. Nos contra foliorum evolvendorum particulas ostendimus.

vivificandas esse? assertum sane, quo sanæ mentis nemo non offendetur. Byssus regni vegetabilis simplicissima, cujus species varias filamentosas ac pulverulentas a colore sæpius constituerunt botanici. Pulverulentæ aggregatis particulis constant muscorum pulvisculum, qui in capsulis simulantibus. Quot particulæ, tot simplicissima individua!

Filamentosæ (z) enodæ modo, modo ramosæ super terram extensæ & interplicatæ adeo ut telas arenaceas simulent. Oculis armatis harum optime distinguitur germinatio. Corpuscula observamus noduliformia spiraliter involuta, quæ e matre emergunt. (a) Hæc, plantæ explicandæ pulli sunt. *Bria rurale*, *friatum* *Hypna abietinum*, *parietinum* *Lichenes acetabulum*, (b) *perlatus* (c) in pixide per biennium asservati, in solo humido umbrosoque bi-trimestri circiter spatio expositi fuerunt, quo elapso, mirati sumus quod germinarint. Permagnum interest experimenta facere plura, ut eorum principii germinativi limites nobis aperiantur. Simulac humiditate destituuntur musci & algæ, exarescunt: ratione inversa ad pristinum statum instaurantur ex textura spongiosa forte, quæ pro tempestatibus vicissitudinibus promptissime hauritur alternatimque dissipatur humiditas. Siquidem seculum & ultra ferunt hæc plantæ observante Hallero (d) sequitur, quod per idem temporis spatium forte asservari posset germinativum principium; id quod experientia edocebit. Ex dictis, evolutivam generationem in muscis

(z) Confervis valde affines.

(a) V. Tab. II fig. 10.

(b) *Flor. Gallo-belg.* p. 506. n. 16.

(c) *Ibidem* p. 506. n. 17.

(d) *Stirp. Helv.* ed. 2 tom. III p. 18.

fcis & algis apertissimam : copulativam falsissimam esse pro certo habemus. Hæc a nemine, neque a posteritate quidem seculorum omnium demonstrabitur. Erunt, qui mirentur effatum hoc nostrum, botanici, quos examinare momentoque suo ponderare rogamus, quæ superius disputavimus. Nominatarum partium (e) structurâ bene perspectâ cognitâque, attributa falsa aut sexuum imitamenta accidentalialia sunt. Fallimur sæpe rebus valde probabilibus. Vix sibi suadebunt nepotes, nostra ætate rempublicam botanicam; particulas vel foliorum primordia, surculorum gemmulas similesque pro seminibus habuisse. (f) Experientia rerum omnium magistra in locum hypothesis substituta, organa ficta accurate delineata & descripta plane distinxisset. Muscorum & algarum (g) particulæ germinantes semina abusive vocantur. Hæ per solam generationem evolutivam educuntur plantæ. Lycopodii *selaginis* & marchantiarum copulativa generatio ex qua muscis & algis omnibus regulam universam statuit Linnæus, systematica est ac mere idealis. Capsularum pulvisculus genitalem farinam simulans, absolute vanus. Viviparas (nec oviparas) has hiemales plantas pro peculiari structurâ ac germinandi ratione diversâ in classes quatuor descripturi sumus in gemmiparas scilicet, bulbiparas, plumuliparas & frondiparas.

K k k 3

Gem-

(e) Vide pag. 437, 438. Litter. n. o.

(f) Il n'est donc plus douteux, que les cones & les étoiles observés dans les mousses, sont des fleurs femelles aussi bien que leur capsules, & que les corpuscules doués de la faculté de végéter, sont de vrais graines ou au moins des rejettons qui entretiennent lieu *Adanson familles des plantes*, tom. II p. 489.

(g) Horum collatio cum perennantibus, cum polypis reptilibusque nonnullis, dissertationis novæ argumentum erit.

Gemmiparæ nudas in adulto furculo gemmulas protrudunt. Huc pertinent Lycopodia, hypna, sphagna, brya &c.

Bulbiparæ propagines bulbiformes evolvunt, quibus propagantur proles. Ut Phasca, quædam brya, mnia &c.

Plumuliparæ furculos e pristinis novos plumuliformes; sub terra reconditos emittunt. In hoc ordine comparent Polytricha, plura mnia, brya &c.

Fron diparæ pulverulentas particulas ad superficiem, aut frondium primordija ad marginem inque cavitate promunt e.g. Marchantiæ, lichenes, jungermaniæ acaules, ricciæ, anthocerotes &c.

E N U M E R A T I O

Stirpium Palatinarum annis 1768, 1769 collectarum

a

NATALI JOSEPHO DE NECKER.

Plantarum ab autumnus anni 1768 usque ad sequentem autumnum in Palatinatu Rheno lectarum enumerationem botanicis offerimus. Stirpes in iis sunt, quas in aliis ævi nostri catalogis frustra quæseris. Species plures observationibus illustravimus. Synonyma ac loca natalia hic negleximus, ad floram Palatinam, quam meditatur, ea referentes. In Palatinatu ducebatque ab eo pendentibus excursiones nostras botanicas continuabimus, imo in peculiari horto, quem Serenissimi Electoris munificentia congregandis in eo indigenis plantis nuperrime destinavit, quidquid vegetabilium in istis regionibus sponte provenit, congeremus; quo ipso amœnissimus observandi, & indagandi campus in re utilissima nobis aperietur.

Fun-

Fungosae.

- Peziza punctata* turbinata disco punctato. *Fl. Gallo-belg.* 535.
laevis convexo-plana : margine lævi. L. c.
- Lycoperdon bovista* subrotundum lacerato dehiscens. L. c. 537.
epiphyllum parasitum confertum : ore multifido lacero
 fulvo. L. c. 536.
- Clavaria ophioglossoides* clavata integerrima obtusa compressa.
 L. c. 539.
- Boletus suaveolens* acaulis superne lævis salicinus. L. c. 541.
- Agaricus quercinus* acaulis : lamellis labyrinthiformibus. L. c. 543.

Algaceae.

- Jungermania reptans* : frondibus subtus bipinnatis, foliolis quadratis.
- rupesfris* : frondibus teretibus, foliolis subulatis secundis.
- trichophylla* : frondibus teretibus, foliolis æqualibus capillaceis.
- platyphylla* : frondibus procumbentibus subtus imbricatis; foliolis cordatis acutis. *Fl. Gallo-belg.* 495.
- dilatata* : frondibus repentibus, foliis inferne auriculatis duplicato-imbricatis; ramis apice latioribus. L. c. 494.
- complanata* : frondibus repentibus, foliolis inferne auriculatis duplicato-imbricatis ramis æqualibus. L. c. 494.
- rubiginosa* : frondibus planis simplici duplicique serie; foliis subrotundis convexo-concavis auriculatis. Tab. 1. F. 3.
- Obs.* Frondes adolescentes simpliciusculæ, adultæ ramosiores. Quisque bi-triunciali longitudine. Rami alternatim oppositi pinnulati: pinnulis vix lineam adæquantibus. Folia furculorum simplici: ramorum duplici serie; subrotundâ in superiori pagina;

gina; convexa in inferiori; concava rachin communem protegentia. Singulorum basi interiori foliorum foliolum appendiculiforme oculis armatis distinctissimum. Hoc in speciebus plurimis globulum simulat, quem ex mente Micheliana semen Linnaeus vocavit. Aliquando pro rudimento genuino speciem reparante habitum est: vere autem in Jungermaniis imbricatis foliola illa, quod in reliquarum classium plantis stipulae sunt. In vigore s. in aetate adolescenti atrovirescens, in adulta fusco-rubiginosa evadit planta. Neque cum descriptionibus, neque cum Dillenianis iconibus hanc conciliare potuimus, ideoque pro specie nova tradimus.

Jungermania pinguis acaulis fronde foliacea sinuata pingui, Fl. Gallo-belg. 489.

furcata acaulis: fronde foliacea lineari-ramosa, apicibus obtuse furcatis.

Marchantia polymorpha cavitate foliolifera orbiculata, integerrima, marginata, pileo stellato decemfido.

hemisphaerica pileo quinquefido hemisphaerico cavitate nulla.

conica pileo subovato, cavitate orbiculata, marginata foliolifera.

Riccia cristallina frondibus superficiei papillofis. Tab. II. F. 9.

fluitans frondibus dichotomis linearibus planis. Tab. II. F. 8.

Lichen *scriptus* leprofus albicans: lineolis ramosis caracteriformibus. L. c. 500.

carpinus cinereus: tuberculis rugosis pertusis. L. c. 501.

ericetorum leprofus candidus: tuberculis carneis. L. c. 502. (h)

ful-

(h) Tuberculorum structura mire variat convexa modo, modo plana, scutellata & pediculata sessilive.

- fulvus* crustaceus flavus : scutellis fulvis. *Fl. Gallo-belg.* 502.
nigricans crustaceus albidus : scutellis atris ac margine cinereo lævi. L. c. 504.
saxatilis imbricatus foliolis sinuatis lacunosis scabris scutellis folio concoloribus. L. c. 504.
parietinus imbricatus foliis crispis fulvis pelta concoloribus. L. c. 505.
acetabulum imbricatus foliis obtusis scutellis folio concoloribus subtus rugosis. (i) L. c. 506.
perlatus imbricatus foliis marginalibus lævibus latioribus obtusis : interioribus adscendentibus undulato-farinaceis. L. c. 507.
glomeratus erectus foliaceus : tuberculis conglobatis terminalibus. L. c. 509.
pullus imbricatus foliis superne nitidis scutellis margine lævibus. L. c. 510.
physodes imbricatus : laciniis obtusis subinflatis. L. c. 510.
caperatus pallide viridis rugosus margine undulatus. L. c. 511.
stellaris imbricatus foliolis cinereis angustis. L. c. 510.
farinaceus foliaceus compressus, ramosus erectus : lateribus verrucosis. L. c. 513.
horizontalis repens foliaceus, planus, lobatus : peltis marginalibus orbiculatis. L. c. 516.
Tremella nostoc plicata undulata. L. c. 522.
purpurea subglobosa sessilis glabra solitaria. L. c. 523.
Ulva intestinalis tubulosa simplex. L. c. 524.

Tom. II.

L 11

Con-

(i) Apud nos infrequens circa Lutetiam vulgatissimus.

- Conferva rivularis* filamentis simplicissimis longissimis æqualibus.
Fl. Gallo-belg. 528.
bullosa filamentis æqualibus ramosis bullas aëreas inclu-
 dens. L. c. 528.
- Byffus velutina* filamentosa viridis tab. II. F. 10.
botrioides pulverulenta viridis L. c. 530.
candelaris pulverulenta flava lignis faxisque adhærens. L.
 c. 530.
cellaris filamentosa simplicissima evanida. L. c. 532.

M u s c o s a e.

- Lycopodium clavatum* foliis sparsis filamentosis spicis teretibus
 geminis. *Fl. Gallo-belg.* 438.
complanatum foliis bifariis connatis superficialibus solita-
 riis spicis geminis pediculatis.
- Sphagnum palustre* ramis deflexis. L. c. 440.
- Phascum acaule* capsula globosa foliis erectis conniventibus ova-
 tis diaphanis.
subulatum acaule foliis setaceis patulis pediculo longiori.
 L. c. 439.
hallerianum acaule foliis erectis subulatis conniventibus
 majoribus : capsula ovata sessili. *Stirp. helv.* ed. 2. t.
 46. F. 3.
- Fontinalis antipiretica* foliis complicato-carinatis trifariis acutis
 capsulis lateralibus. L. c. 441.
- Polytrichum commune* caule simplici capsula parallelepipeda. L.
 c. 442.
- Bryum pulvinatum* capsulis subrotundis pediculis reflexis foliis
 piliferis. L. c. 453.
caespitium capsulis pendulis foliis lanceolatis acuminato-
 setaceis pediculis longis.
paludosum acaulon : capsulis obtusissimis patulis foliis seta-
 ceis. L. c. 454. *argen-*

- argenteum* capsulis pendulis furculis cylindricis foliis imbricatis. *Fl. Gallo-belg.* 452.
- truncatulum* capsulis erectis subrotundis operculo mucronato. L. c. 455.
- heteromallum* capsulis erectis foliis setaceis secundis. L. c. 456.
- undulatum* capsulis erectiusculis pediculatis subfolitariis foliis lanceolatis ferrulatis undulatis. L. c. 457.
- rurale* capsulis erectiusculis foliis piliferis recurvatis. L. c. 457.
- murale* capsulis erectis foliis piliferis furculis simplicibus. L. c. 458.
- apocarpum* capsulis sessilibus terminalibus caliptra minima. L. c. 460.
- friatum* capsulis sessilibus sparsis caliptris striatis sursumve pilosis. L. c. 461.
- scoparium* capsulis erectis pediculis aggregatis foliis secundis recurvis caule declinato. L. c. 463.
- ericaefolium* acaulon foliis siccitate crispis, carinatis capsulis erectis. *Dill. musc.* tab. 49 F. 55. optime.
- Mnium** *hygrometricum* acaule capsula nutante caliptra tetragona reflexa. L. c. 444.
- serpillifolium* pediculis aggregatis, foliis patulis pellucidis. L. c. 446.
- fontanum* caule simplici geniculis inflexo. L. c. 565.
- palustre* caule dichotomo foliis subulatis. L. c. 448.
- triquetrum* foliis trifariis patulis subulatolanceolatis carinatis. (k)
- fissum* foliis distichis bifidis. L. c. 565.

L 11 2

poly-

(k) In paludosis turfosis copiose.

polytrichoides caliptra villosa. Fl. Gallo-belg. 449.

hornum capsulis pendulis pediculo curvato furculo simplici
foliis margine scabris. L. c. 445.

Hypnum complanatum furculis ramosis plano-pinnatis foliis im-
bricatis acutis complicatis.

brioides furculo simplicissimo plano-pinnato tuberculis pe-
diculorum nudis.

taxiforme furculis plano-pinnatis basi pediculiferis tuber-
culis nudis.

denticulatum furculo plano pinnis duplicatis ; basi pedi-
culifero.

crispum furculo ramoso subpinnato foliis undulatis planis.

delicatulum furculis proliferis plano-pinnatis cuspidatis ;
pediculis confertis.

proliferum furculis proliferis plano-pinnatis pediculis con-
fertis. L. c. 470.

triquetrum ramis vagis recurvis , foliis ovatis patulis re-
curvatis. L. c. 446.

rustabulum ramis vagis subrepentibus foliis ovatis mucro-
natis imbricatis. L. c. 446.

filicinum furculis pinnatis ramulis remotis foliis imbri-
catis incurvis secundis acutis.

praelongum furculis subpinnatis decumbentibus ramulis
distantibus foliis ovatis capsulis cernuis. L. c. 471.

abietinum furculis pinnatis teretiufculis inæqualibus re-
motis. L. c. 468.

plumosum furculis pinnatis repentibus ramis confertis fo-
liis subulatis capsulis erectis.

cupressiforme furculis subpinnatis foliis recurvis secundis
apice subulatis. L. c. 471.

purum furculis pinnato-sparfis subulatis foliis ovatis ob-
tusis conniventibus. L. c. 476.

cuspi-

cuspidatum furculis vagis apice foliis convolutis acuminatis. *Fl. Gallo-belg.* 482.

sciuroides furculis erectis incurvis. L. c. 474.

vagum furculis ramosissimis ; ramis teretibus subulatis capsulis erectis. L. c. 475.

compressum furculis plano - pinnatis ramulis simplicibus proliferisque pediculis longis. L. c. 477.

ruscifolium furculis vagis teretibus erectiusculis foliis ovatis concavis obtusis conniventibus capsulis brevibus subcernuis. L. c. 481.

velutinum furculo repente ramis confertis erectis foliis subulatis capsulis nutantibus.

murale furculis repentibus ramis erectis teretibus pediculo subæqualibus foliis ovatis obtusis capsulis nutantibus. L. c. 479.

dubium furculis subdecumbentibus ramis approximatis foliis acuminatis patulis capsulis subcernuis. L. c. 484.

serpens furculis repentibus filiformibus foliis oblitteratis. L. c. 477.

dendroides furculo erecto ramis fasciculatis terminalibus simpliciusculis capsulis erectis.

sericeum furculo repente ramis aggregatis erectis foliis subulatis capsulis erectis. L. c. 478.

ficopodioides furculis erectis ramosis foliis dilatato-lanceolatis secundis rugosis apice recurvis. Tab. 1. - F. 2.

Obs. Surculi ramosi bi-tripollices transversos alti , adscendentes subpinnati : pinnis distantibus approximatisve. Rami quatuor quinque linearum longitudine. Folia lanceolata superne rugosa versus basin dilatiora rachi intermedia ; secunda recurvata sesquilineam duasve longa semilineamque lata. Color rufolutescens in sicca, & luteo-viridulus in recenti. Nullo pacto hic capsulas promit illa planta. Hunc muscum rarum esse testatur

Linnæus (1), ramos rubros facit sed phificus ille character nos latet. Cum descriptione Dilleniana; nostra omnino convenit; proin suspicamur aut perill. vir. in figura citata a vero errasse aut speciem intellexisse, quæ in *hist. musc.* pag. 290 Tab. 37 F. 25 occurrit aut denique solo & climate diverso in rubrum colorem; nostram plantam mutatam esse.

palatinum ramis adscendentibus aduncis capsulis cylindricis erectis exanulatis. Tab. 1. F. 1. *Dill. musc.* Tab. 41. F. 55.

Obs. Radiculæ fuscæ gracillimæ vix oculis nudis conspicuæ. Surculi ramosi surculi erecto-decumbentes subpinnati semipollicem seu bipollices transversos longi. Planta germinante, ex apicibus furculi præcipui superioribus nuda prodit gemmula solitaria, quæ plantæ alterius futuræ compendium est. Aliæ minores observantur gemmulæ laterales. Hæ ramos ostendunt evolvendos. Quisque ramus quatuor aut quinque linearum longitudine, qui siccitate falculas mentitur. Folia ovata acuta carinata semilineam longa, in humida; patula in sicca rachi appressa ita ut haud cerni queant. Ad basin ramorum internorem pediculi rubri fetacei sex septemve lineas alti: capsulis terminalibus operculoque obtusiusculo clausis. Longitudo duarum linearum, latitudo femilineæ. Caliptra conica subulata capsulam tegens, maturata, sponte decedit. Tuberculum pediculorum viridulum, foliis pellucidibus obvolutum. Operculo cadente, cilia orificio interno singulæ capsulæ exstant. Capsulæ viridulæ dein squalide luteæ denique fuscæ, in quibus pulvisculus virescens vānus.

albicans furculo erecto tereti foliis conniventibus mucronatis.

Obs. Surculi sæpe simpliciores erecti exacte teretes sesquipollicis longitudinem raro superantes. Rami pauci ordine nullo digesti

(1) *Mantissa plantar.* 131.

digesti alterni, tres quatuorve lineas longi. Folia furculorum ramorumque rachi apprimuntur ita ut tam in sicca quam in humida planta nunquam hient; ovata carinata mucrone terminata. Plantæ color nitidus viridulo-lutescens ad albicantem vergens. Capsulas hæc apud nos neutiquam promit; hypno illo capsulas etiam raro inveniri, Dillenius admonet. (m)

Filiceæ.

Equisetum palustre caule anguloso frondibus simplicibus. *Fl. Gallo-belg.* 423.

arvense scapo fructificante nudo: sterili frondoso. L. c. 424.

Acrosticum septentrionale frondibus nudis linearibus laciniatis.

Pteris aquilina frondibus supradecompositis foliolis pinnatis pinnis lanceolatis infimis pinnatifidis. L. c. 429.

Asplenium scolopendrium frondibus simplicibus cordato-lingulatis integerrimis stipitibus hirsutis. L. c. 431.

ruia muraria frondibus alternatim decompositis foliolis cuneatis crenulatis. L. c. 433.

Polypodium vulgare frondibus pinnatifidis: pinnis oblongis subserratis obtusis radice squamata. L. c. 435.

Gramineæ.

Phalaris arundinacea panicula oblonga ventricosa.

orizoides panicula effusa glumarum carinis ciliatis.

Corollam nullam in hoc gramine detegere potuit Pollichius:

„ (n) Caulis, inquit ille vir, fesqui-bipedalis altior modo erectus

(m) *Hist. musc.* p. 328.

(n) Medicinæ doctor Lutrensis & academiz nostræ correspond.

„ ctus modo basin versus subreclinatus , quandoque simplex
 „ quandoque subramosus, geniculis sex septemve instructus. Fo-
 „ lia vaginantia plana , in acutum mucronem terminata læte
 „ viridia. Vaginæ subteretiusculæ , striatæ sicuti & folia spinu-
 „ lis armata. Hæ spinulæ vaginas foliaque aspera reddunt ;
 „ quod & solo digitorum attactif apparet. Genicula pubescentia.
 „ Panicula, quæ ægre ex folii vagina superiori exit , primum
 „ contracta, dein laxa palmaris. Paniculæ ramuli parum flexu-
 „ osi. Locusta apetalâ, ovata, compressa, mutica. Calix biglu-
 „ mis. Glumæ carinatæ compressæ, membranacæ, ægre a se in-
 „ vicem diducendæ, diaphanæ, quarum carina ciliata. Stamina
 „ tria. Styli duo. Semen ovatum glabrum per glumas pellu-
 „ ces visibile. Nulla petala in gramine nostro etiam cum plurima
 „ exemplaria maxima cum cautela examinaverim, detegere po-
 „ tui. Serò floret circa Augusti finem initio Septembris.„ In pa-
 ludibus turfosis legit.

Cyperus flavescens culmo triquetro nudo umbella triphilla pedun-
 culis simplicibus inæqualibus spicis lanceolatis confertis.

Scirpus palustris culmo tereti nudo spicâ subovatâ imbricatâ.

Fl. Gallo-belg. 24.

lacustris culmo tereti nudo spiculis ovatis pedunculatis
 terminalibus. L. c. 25.

maritimus culmo triquetro panicula conglobata foliacea spi-
 culis ovatis bracteatis.

silvaticus culmo triquetro folioso umbella foliacea pedun-
 culis supradecompositis spiculis sessilibus pedj cellatisque.

Schoenus albus culmo subtriquetro folioso , floribus fasciculatis
 foliis fetaceis.

Nardus stricta spica recta : spiculis secundis alternis sessilibus.

Panicum verticillatum spica verticillata racemulis quaternis in-
 volucellis unifloris bifetis culmis diffusis.

dacti-

dactilon spicis digitatis patentibus basi interiori villosis floribus solitariis. *Fl. Gallo-belg.* 33.

crus galli spicis alternis conjugatisque spiculis alternis subsecundis sessilibus imbricatis.

viride spica tereti involuclis bifloris fasciculato-pilosis feminibus nervosis. L. c. 33.

miliaceum panicula laxa flaccida foliorum vaginis pubescentibus.

Phleum pratense spica cylindrica longissima culmo erecto. L. c. 34.

nodosum spica cylindracea basi sterili, culmo ascendente radice bulbifera.

Alopecurus geniculatus culmo spicato nodis infracto. L. c. 35.

agrestis culmo spicato erecto glumis glabris. L. c. 36.

pratensis culmo spicato erecto glumis villosis. L. c. 36.

Agrostis spica venti petalo exteriori exerente aristam rectam strictam longam. L. c. 39.

stolonifera paniculae ramulis divaricatis muticis culmo ramoso repente. L. c. 40.

capillaris panicula capillari patente calicibus subulatis aequalibus hispidiusculis coloratis flosculis muticis. L. c. 40.

arundinacea panicula oblonga, petalo exteriori basi villosa arista torta calice longiore.

minima panicula filiformi flosculis subsecundis sessilibus.

Aira praecox vaginis subangulatis floribus spicatis.

cariophyllaea foliis filiformibus panicula patent-divaricata pedicellis bi-trifloris flosculis aristatis.

montana foliis setaceis panicula angustata flosculis basi pilosis aristatis arista tortili longiore.

flexuosa foliis setaceis culmis subnudis panicula divaricata pedunculis flexuosis. L. c. 47.

caespitosa foliis lineari-subulatis panicula laxa flexuosa petalis basi villosis aristatisque.

Tom. II.

M m m

cae-

- caerulea* foliis planis subpilosis spiculis teretibus acuminatis stylo & stigmatibus purpurascens.
- criflata* panicula spicata spiculis bi-trifloris petalis subaristatis.
- canescens* foliis setaceis summo spathaceo paniculam inferiorem obvolvete. *Fl. Gallo-belg.* 50.
- Poa aquatica* paniculâ foecundatâ diffusa: deflorata contractiuscula spiculis multifloris.
- palustris* panicula diffusa spiculis subtrifloris foliis subtus asperis,
- nemoralis* panicula attenuata spiculis subbifloris mucronatis scabris culmo declinato. L. c. 52.
- compressa* panicula secunda coarctata culmo obliquo compresso. L. c. 52.
- Dactylis glomerata* panicula secunda glomerata. (o) L. c. 58.
- Festuca ovina* panicula secunda coarctata aristata culmo tetragono nudiusculo foliis setaceis.
- auriuscula* panicula secunda oblonga: spiculis scabris sexfloris flosculis aristatis.
- myuros* panicula spicata nutante spiculis alternis villosis foecundatis patulis; longe aristatis.
- fluitans* panicula ramosa erecta: spiculis oblongis teretibus subfessilibus muticis. L. c. 59.
- elatior* panicula secunda spiculis teretiusculis submuticis. (p)
- Bro-

(o) In monte *Donnersberg* circaque *Manhemium* hanc viviparam vidimus, omnino explicata erat plantula. Magnitudo pollicaris folia bipollices transversos longa lineamque lata. Gramen hoc viviparum a festuca vivipara toto cælo differt: foliis latioribus, culmis compressis & vagina ancipitiforimi. Dactylides cum festucis conjungi possent, nam eorum character genericus haud clare distinguitur.

(p) Naturæ lusus singularis in hac nuperrime nobis obvius fuit, unica vivipara panicula erat, quæ cum cæteris fructificantibus ex eademoriebatur planta.

Bromus fœcalinus panicula patente , spiculis ovatis aristis rectis.

Fl. Gallo-belg. 63.

arvensis panicula nutante spiculis ovato-oblongis , glabris glumis corollinis nervosis.

mollis panicula erectiuscula spiculis ovatis foliis utrinque villosis culmorum geniculis pubescentibus.

pinnatus spiculis teretibus recurviusculis aristis terminalibus.

tefforum panicula nutante glumis exterioribus subulatis.

giganteus panicula nutante spiculis sæpius quadrifloris : valvulis corollinis exterioribus arista terminalibus.

triflorus panicula nutante floribus subtrifloris.

dumetorum panicula subfasciculata erecta spiculis teretibus submuticis.

Obs. Culmus rectus solitarius , cubitalis seu bicubitalis , glaber , pennæ aaserinæ crassitie. Folia sex septemve pollices longa , sex lineas lata apicem versus sensim decrefcentia , lævia. Panicula palmaris femipedalisve : florens patentiffima , dilute spadicea cum purpureo mixta. Spiculæ , teretes linearum quindecim longitudine , unius latitudine feptem-octofloræ. Glumæ calicinæ inæquales : corollinæ sex lineas longæ : exterioribus vix lineæ latitudinem adæquantibus. Hæ superne tribus nervis distinctis notantur. Flosculorum apex bifidus infra quem arista recta breviffima quandoque nulla. Stamina tria luteo-rubicunda. Ovarium subconicum. Styli divergentes , pubefcentes. Semen oblongum solitarium.

Avena pratensis spicata calicibus quinquefloris. L. c. 67.

pubescens spicato-paniculata spiculis subtrifloris ; aristis coloratis flosculo longioribus.

elatior paniculata : calicibus bifloris flosculo monocline mutico , mafculo aristato.

flavescens panicula laxa calicibus subquadrifloris flosculis omnibus aristatis. L. c. 68.

M m m 2

Carex

Carex brizoides spica composita disticha nuda spiculis androgynis oblongis contiguis; culmo nudo.

digitata spicis linearibus erectis mascula brevior inferiore bracteis aphillis capsulis distantibus.

saxatilis spicis tribus ovatis sessilibus alternis mascula oblonga.

Andropogon ischaemum spicis digitatis plurimis flosculis sessilibus aristato muticoque pedicellis lanatis. Fl. Gallo-belg. 414.

Holcus mollis glumis bifloris nudiusculis flosculo hermaphrodito mutico, masculo arista geniculata. L. c. 415.

lanatus glumis bifloris villosis monoclinis mutico, masculo arista recurvata. L. c. 414.

O r c h i d e a e.

Ophris ovata bulbo fibroso caule bifolio foliis ovatis nectarii labio bifido. L. c. 373.

vidua avis bulbis fibroso-fasciculatis caule vaginato nectarii labio bifido.

pulchra bulbo subrotundo scapo subnudo pentagono, foliorum apicibus scabris nectarii labio integro. (q)

Orchis odoratissima bulbis palmatis patentibus nectarii cornu fetaceo germinibus longiore: labio trifido petalis duobus patentissimis.

maculata bulbis palmatis patentibus nectarii cornu germinibus brevioribus: labio plano petalis dorsalibus patentibus.

bifolia bulbis indivisis nectarii labio lanceolato integerrimo: cornu longissimo petalis patulis. L. c. 370.

Lili-

(q) Ad academiam Belatinam misit *Pollicinus* plantam sane rarioribus annumerandam.

Liliatæ.

Iris pseudoacorus corollis imberbibus petalis internis stigmatibus minoribus. *Fl. Gallo-belg.* 20.

iberica corollis imberbibus germine trigono foliis linearibus.

Lilium martagon foliis verticillatis floribus reflexis petalis revolutis.

Ornithogalum luteum scapo anguloso diphillo pedunculis simplicibus umbellatis. L. c. 162.

bifolium scapo obtuse anguloso racemo paucifloro floribus patulis. Scillæ sp. Linn.

Obs. Petala persistunt coloremque dimittunt. Stamina pistilli longitudine, dilatiuscula, colorata, glabra petalis opposita eorumque basi adhærentia. Germen sexangulare. Stylus persistens. Stigma obtusiusculum. Capsula trilocularis, trivalvis; hinc ad ornithogali genus plane congruit planta nostra.

Allium angulosum scapo nudo ancipiti, foliis lineari-canaliculatis subtus angulatis umbellâ fastigiatâ.

Obs. Bulbus albidus oblongus. Folia linearia viridula quatuor ad octo pollices longa, duasque lineas lata carinato-angulata. Scapus nudus pedalis sesquipedalisve striato-angulosus. Fructificatio terminalis. Spatha marcescens diphilla. Flores carnei s. pallide purpurei, pedicellati. Petala sex: tribus interioribus reliquis latioribus. Stamina sex corollam æquantia nonnunquam superantia. Antheræ cerulescentes.

victoriale caule planifolio umbellifero umbellâ rotundatâ staminibus lanceolatis corollâ longioribus. Planta quadrupedalis quandoque orgiam alta. Caulis maculatus.

sphaerocephalon caule teretifolio umbellifero foliis semiteretibus staminibus tricuspидatis corollâ longioribus.

M m m 3

Aspa-

- Asparagus officinalis* caule herbaceo foliis fetaceis stipulis paribus. *Fl. Gallo-belg.* 167.
- Convallaria bifolia* foliis cordatis petiolulatis floribus quadrifidis tetrandris. L. c. 165.
- *multiflora* foliis alternis amplexicaulibus caule tereti pedunculis axillaribus multifloris. L. c. 165.
- polygonatum* foliis alternis amplexicaulibus caule ancipiti, pedunculis axillaribus subunifloris. L. c. 166.
- verticillata* foliis verticillatis.
- Juncus buffonius* culmo dichotomo, foliis angulosis floribus folitariis sessilibus pedunculatisque. L. c. 168.
- articulatus* foliis articulatis petalis obtusis.
- Scheuchzeria palustris.*
- Triglochin palustre.*

A r a c e a e.

- Calla palustris* foliis cordatis spathe plana spadice undique hermaphrodito.
- Acorus calamus.*
- Sparganium rectum* foliis rectis triquetris. L. c. 377.
- Butomus caespitini.* L. c. 189.
- Sagittaria sagittifolia* foliis sagittatis. L. c. 387.
- Menianthes nymphoides* foliis cordatis integerrimis corollis ciliatis. L. c. 105.
- trifolium* foliis ternatis. L. c. 105.
- Potamogeton natans* foliis oblongo-ovatis nervosis petiolatis natantibus. L. c. 95.
- lucens* foliis ellipticis in petiolum basi decrescentibus utrinque nitidis. L. c. 95.
- Lemna minor* foliis sessilibus utrinque planiusculis radicibus folitariis. L. c. 376.
